COMOEDIAE

PVBLI TERENTI

AFRI

COMOEDIAE

IN VSVM ELEGANTIORVM HOMINVM

EDIDIT

FRIDERICVS HENRICVS BOTHE

MAGDEBVRGENSIS

ACCEDIT ICON COMICI IN AES INCISA

BEROLINI

SVMTV IOANNIS FRIDERICI VNGERI

1806



PHORMIO.

C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN PHORMIONEM.

Chremetis frater aberat peregre Demipho,
Relicto Athenis Antiphone filio.
Chremes clam habebat Lemni uxorem ac filiam,
Athenis aliam coniugem et amantem unice
Gnatum fidicinam. mater e Lemno advenit
Athenas; moritur. virgo sola (aberat Chremes)
Funus procurat. ibi eam visam cum Antipho
Amaret, opera parasiti uxorem accipit.
Pater et Chremes reversi fremere; dein minas
Triginta dant parasito, ut illam coniugem
Haberet ipse. argento hoc emitur fidicina;
Vxorem retinet Antipho a patruo agnitam.

P. TERENTI

PHORMIO.

ACTA LVDIS ROMANIS L. POSTVMIO ALBINO L. CORN. MERVLA AEDIL. CVR. EGERE L. AMBIVIVS TVRPIO L. ATILIVS PRAENESTINVS. MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI TIBIIS IMPARIB. TOTA. GRAECA APOLLODORV EPIDICAZOMENOS. ACTA EST IIII. C. FANNIO M. VALERIO COSS.

DRAMATIS PERSONAE.

Phormio.
Demipho.
Antipho.
Geta.
Dorio.
Chremes.
Phaedria.
Davvs.
Navsistrata.
Hegio.
Cratinvs.
Crito.

PROLOGVS.

Postquam poëta vetus poëtam non potest
Retrahere ab studio et transdere hominem in otium,
Maledictis deterrere, ne scribat, parat.
Qui ita dictitat: quas antehac fecit fabulas,
Tenui esse oratione et scriptura levi:
Quia nusquam fecit insanum adolescentulum
Cervam videre fugere et sectari canes,
Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi.
Quodsi intelligeret, olim cum stetit novus,
Actoris opera mage stetisse quam sua,
Minus multo audacter, nunc quam laedit, laederet,
Et mage placerent, quas fecisset fabulas.
Nunc si quis est, qui hoc dicat aut sic cogitet:
Vetus poëta non lacessisset prior,
Nullum invenire prologum posset novus:
Quae diceret, nisi haberet, cui malediceret?
Is sibi responsum hoc habeat: in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.
Ille ad famem hunc ab studio studuit reicere;
Hic respondere voluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene;
Quod ab illo adlatum est, rellatum esse id sibi putet.
De illo nam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi quom ipse de se finem non facit?
Nunc, quid velim, animum attendite. Adporto novam,

Epidicazomenon quam vocant comoediam
Graece, Latine hic Phormionem nominat:
Quia, primas partes qui aget, is erit Phormio
Parasitus, per quem res geretur maxume,
Voluntas vostra si ad poëtam accesserit.
Date operam! adeste aequo animo per silentium,
Ne simili utamur fortuna atque usi sumus,
Cum per tumultum noster grex motus loco est,
Quem actoris virtus nobis restituit locum
Bonitasque vostra adiutans atque aequanimitas!

D A V V S.

Amicus summus meus et popularis Geta I. 1.
Heri ad me venit; erat ei de ratiuncula
Iampridem apud me reliqũum pauxillulum
Numorum; id ut conficerem: confeci; adfero:
Nam herilem filium eius duxisse audio
Vxorem; ei credo munus hoc conraditur.
Quam inique comparatum est, ii, qui minus habent,
Vt semper aliquid addant divitioribus!
Quod ille unciatim vix de demenso suo,
Suum defrudans Genium, compersit miser,
Id illa universum abripiet, haud existumans,
Quanto labore partum! porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit;
Porro alio autem, ubi erit puero natalis dies;
Vbi initiabunt; omne hoc mater auferet:
Puer causa erit mittundi. Set videon' Getam?

GETA. DAVVS.

GETA.

Si quis me quaeret rufus....

DAVVS.

Praesto est: desine.

GETA.

Oh! I. 2.

At ego obviam conabar tibi, Dave,....

DAVVS.

Accipe, hem!

Lectum est; conveniet numerus, quantum debui.

GETA.

Amo te et non neglexisse habeo gratiam.

DAVVS.

Praesertim ut nunc sunt mores: adeo res redit:
Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.
Set quid tu es tristis?

GETA.

Egone? nescis, quo in metu,
Quanto in periclo, simus?

DAVVS.

Quid istuc est?

GETA.

Scies,
Modo ut tacere possis.

DAVVS.

Abi sis, insciens:
Cuius tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere verba ei credere, ubi quid mihi lucri est
Te fallere?

GETA.

Ergo ausculta.

DAVVS.

Hanc operam tibi dico.

GETA.

Senis nostri, Dave, fratrem maiorem, Chremen,

Nostine?

DAVVS.

Quidni?

GETA.

Quid? eius gnatum Phaedriam?

DAVVS.

Tam quam te.

GETA.

Evenit senibus ambobus simul,
Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam
Ad hospitem antiquom: is senem per epistolas
Pellexit, modo non montes auri pollicens.

DAVVS.

Cui tanta erat res et supererat?

GETA.

Desinas:
Sic est ingenium.

DAVVS.

Oh, regem me esse oportuit!

GETA.

Abeuntes ambo hinc tum senes me filiis
Relinquunt quasi magistrum.

DAVVS.

O Geta, provinciam
Cepisti duram!

GETA.

Mi usus venit, hoc scio!
Memini, relinqui me deo irato meo.
Coepi advorsari primo; quid verbis opus?
Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.
Venere in mentem mi istaec: namque inscitia est
Advorsus stimulum calces. coepi iis omnia
Facere, obsequi, quae vellent.

DAVVS.

Scisti uti foro.

GETA.

Noster mali nil quidquam primo; hic Phaedria
Continuo quandam nactus est puellulam

Citharistriam; hanc amare coepit perdite.
Ea serviebat lenoni impurissimo,
Neque, quod daretur, quidquam: id curarant patres:
Restabat aliud nil nisi oculos pascere,
Sectari, in ludem ducere et reducere;
Nos otio dabamus operam Phaedriae.
In quo haec discebat ludo, exadvorsum ei loco
Tonstrina erat quaedam; hic solebamus fere
Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.
Interea, dum ibi sedemus olim, intervenit
Adolescens quidam, lacrumans: nos mirarier;
Rogamus, quid sit? „Nunquam aeque," inquit, „ac modo
„Paupertas mihi visa onus est et miserum et grave:
„Modo quandam vidi virginem hic viciniae
„Misere suam matrem lamentari mortuam
„(Ea sita erat exadvorsum), neque illi benevolens
„Neque notus neque cognatus, extra unam aniculam,
„Quisquam aderat, qui adiutaret funus: miseritum est;
„Virgo ipsa facie egregia." Quid verbis opus?
Commorat omnes nos. Ibi continuo Antipho:
Voltisne eamus visere? alius: censeo!
Eamus! duc nos sodes! imus, venimus,
Videmus. Virgo pulchra et, mage quo diceres,
Nil aderat adiumenti ad pulchritudinem:
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida,
Lacrumae, vestitus turpis, ut, ni vis boni
In ipsa inesset forma, haec formam extinguerent.
Ille, qui illam amabat fidicinam, tantummodo:
Satis, inquit, scita est; noster vero....

DAVUS.

Iam scio:
Amare coepit.

GETA.

Scin', quam? quo evadat, vide.

Postridie ad anum recta pergit; obsecrat,
Sibi eius ut faciat copiam; illa enim se negat,
Neque eum aequom ait facere: civem esse illanc Atticam,
Bonam, bonis prognatam: si uxorem velit,
Lege id licere facere; sin aliter, negat.
Noster, quid ageret, nescire: et eam ducere
Cupiebat, et metuebat absentem patrem.

DAVVS.

Non, si redisset, pater ei veniam daret?

GETA.

Ille indotatam virginem atque ignobilem
Daret illi? nunquam faceret.

DAVVS.

Quid fit denique?

GETA.

Quid fiat? est parasitus quidam Phormio,
Homo confidens, qui.... illum di omnes perduint!

DAVVS.

Quid is fecit?

GETA.

Hoc consilium, quod dicam, dedit:
Lex est, ut orbae, qui sunt genere proxumi,
Iis nubant, et illos ducere eadem haec lex iubet:
Ego te cognatum dicam et tibi scribam dicam;
Paternum amicum me adsimulabo virginis;
Ad iudices veniemus; qui fuerit pater,
Quae mater, qui cognata tibi sit, omnia haec
Confingam, quod erit mihi bonum atque commodum;
Cum tu horum nil refelles, vincam scilicet;
Pater aderit: mihi paratae lites; quid mea?
Illa nostra erit quidem.

DAVVS.

O iocularem audaciam!

GETA.

Persuasum est homini, factum est, ventum est, vincimur,

Duxit.

DAVVS.

Quid narras?

GETA.

Hoc, quod audis.

DAVVS.

O Geta,

Quid te futurum est?

GETA.

Nescio hercle; unum hoc scio:
Quod fors feret, feremus animo aequo.

DAVVS.

Places:

Hem istuc viri est officium!

GETA.

In me omnis spes mihi est.

DAVVS.

Laudo.

GETA.

Ad precatorem adeam, credo, qui mihi
Sic oret: „nunc amitte, quaeso, hunc; ceterum
Posthac si quidquam, nil precor." tantummodo
Non addit: „ubi ego hinc abiero, vel occidito!"

DAVVS.

Quid paedagogus ille, qui citharistriam?
Quid re gerit?

GETA.

Sic; tenuiter.

DAVVS.

Non multum habet
Fortasse, quod det.

GETA.

Imo nil nisi spem meram.

DAVVS.

Pater eius rediit, annon?

GETA.

Nondum.

DAVVS.

Quid? senem
Quoad expectatis vostrum?

GETA.

Non certum scio,
Set epistolam ab eo adlatam esse audivi modo et
Ad portitores esse delatam; hanc petam.

DAVVS.

Numquid, Geta, aliud me vis?

GETA.

Vt bene sit tibi. —
Puer, heus! — Nemon' huc prodit? — Cape; da Dorcio!

ANTIPHO. PHAEDRIA.

ANTIPHO.

Adeon' rem redisse, ut, qui mihi consultum optume velit esse, II. 1.
Patrem, Phaedria, ut extimescam, ubi eius adventi venit in mentem?
Quod ni fuissem incogitans, ita eum expectarem ut par fuit.

PHAEDRIA.

Quid istuc?

ANTIPHO.

Rogitas, qui tam audacis facinoris mihi conscius sis?
Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset,
Neu me cupidum eo impulisset, quod mihi principium est mali!
Non potitus essem; — fuisset tum illud mi aegre aliquot dies,
At non quotidiana cura haec angeret animum, ...

PHAEDRIA.

Audio.

ANTIPHO.

Dum exspecto, quam mox veniat, hanc qui mi adimat consuetudinem.

PHAEDRIA.

Aliis, quod amant, quia desit, aegre est, tibi, quia superest, dolet;
Amore abundas, Antipho!
Nam tua quidem hercle vita certo haec expetunda optandaque est.
Ita me di bene ament, ut, modo liceat tamdiu, quod amo, frui,
Iam depecisci morte cupio! tu coniicito ceterum,
Quid inopia ex hac ego nunc capiam et quid tu ex ista copia;
Vt ne addam, quod sine sumtu ingenuam, liberalem, nactus es;
Quod habes, ita ut voluisti, uxorem sine mala fama palam;
Beatus, ni unum hoc desit, animus, qui modeste istaec ferat.
Quodsi tibi res sit cum eo lenone, quicum mihi, tum sentias.
Ita plerique omnes sumus ingenio: nostri nosmet poenitet.

ANTIPHO.

At tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phaedria,
Cui de integro est potestas etiam consulendi, quid velis,
Retinere amorem an mittere: ego in eum incidi infelix locum,
Vt neque mihi ius sit amittundi nec retinendi copia!
Set quid hoc est? videon' ego Getam currentem huc advenire?
Is ipsus! hei, timeo miser, quam hic nunc mihi nuntiet rem!

GETA. ANTIPHO. PHAEDRIA.

GETA.

Nullus, Geta, nisi aliquod iam tibi celere repereris consilium: II. 2.
Ita nunc imparatum subito tanta te impendent mala,
Quae neque uti devitem scio, neque, quomodo me inde extraham:
Nam non pote celari nostra diutius iam audacia.

ANTIPHO.

Quidnam ille commotus venit?

GETA.

Tum temporis punctum mi ad hanc rem est: herus adest.

ANTIPHO.

Quid istuc mali?

GETA.

Quod cum audierit, eius quod remedium inveniam iracundiae?
Loquar? incendam; taceam? instigem; purgem me? laterem lavem:
Heu me miserum! cum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi;
Eius me miseret, ei nunc timeo, is nunc me retinet: nam absque eo esset
Recte ego mihi vidissem et senis essem ultus iracundiam:
Aliquid conrasissem atque hinc me protinus coniicerem in pedes.

ANTIPHO.

Quam mi hic fugam aut furtum parat?

GETA.

Set ubi Antiphonem reperiam aut qua quaerere insistam via?

PHAEDRIA.

Te nominat.

ANTIPHO.

Nescio quod magnum hoc nuntio exspecto malum.

PHAEDRIA.

Vah, sanun' es?

GETA.

Domum ire pergam: ibi plurimum est.

PHAEDRIA.

Revocemus hominem.

ANTIPHO.

Sta illico!

GETA.

Hem, satis pro imperio, quisquis es.

ANTIPHO.

Geta!

GETA.

Ipse est, quem volui obviam!

ANTIPHO.

Cedo, quid portas, obsecro? atque id, si potes, verbo expedi!

GETA.

Faciam.

ANTIPHO.

Eloquere.

GETA.

Modo apud portum....

ANTIPHO.

Meumne?

GETA.

Intellexti.

ANTIPHO.

Occidi!...

PHAEDRIA.

Hem,....

ANTIPHO.

Quid agam?

PHAEDRIA.

Quid ais?

GETA.

Huius patrem vidisse me, patruum tuum.

ANTIPHO.

Nam quod ego huic nunc subitum exitio remedium inveniam miser?
Quodsi eo meae fortunae redeunt, Phanium, abs te ut distrahar,
Nulla est mihi vita expetunda.

GETA.

Ergo istaec quom ita sint, Antipho,
Tanto mage te advigilare aequom est. Fortes Fortuna adiuvat.

ANTIPHO.

Non sum apud me!

GETA.

Atqui opus est nunc cum maxume ut sis, Antipho:
Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur,
Commeruisse culpam.

PHAEDRIA.

Hoc verum est.

ANTIPHO.

Non possum immutarier.

GETA.

Quid faceres, si aliud quid gravius tibi nunc faciundum foret?

ANTIPHO.

Cum hoc non possum, illuc minus possem.

GETA.

Hoc nihil est, Phaedria: ilicet!
Quid hic conterimus operam frustra? quin abeo.

PHAEDRIA.

Et quidem ego.

ANTIPHO.

Obsecro,
Quid, si sic adsimulo? — satin' est?

GETA.

Garris.

AN-

ANTIPHO.

Contemplamini, hem! —
Satine sic est?

GETA.

Non.

ANTIPHO.

Quid sic? est?

GETA.

Propemodum.

ANTIPHO.

Quid sic?

GETA.

Sat est!
Hem istuc serva, et verbum verbo, par pari, ut respondeas,
Ne te iratus suis saevidicis dictis protelet!

ANTIPHO.

Scio.

GETA.

Vi coactum te esse invitum, lege, iudicio. Tenes?
Set quis hic est senex, quem video in ultima platea?

ANTIPHO.

Ipsus est!
Non possum adesse.

GETA.

Ah, quid agis? quo abis, Antipho?
Mane, inquam!

ANTIPHO.

Egomet me novi et peccatum meum;
Vobis commendo Phanium et vitam meam. —

PHAEDRIA.

Geta, quid nunc fiet?

GETA.

Tu iam lites audies;
Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.
Set quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id nosmet ipsos facere oportet, Phaedria.

PHAEDRIA.

Aufer mi Oportet; quin tu, quid faciam, impera.

GETA.

Meministin', olim ut fuerit vostra oratio
In re incipiunda ad defendendam noxiam:
Iustam illam causam, facilem, vincibilem, optumam?

PHAEDRIA.

Memini.

GETA.

Hem, nunc ipsa est opus ea aut, si quid potest,
Meliore et callidiore.

PHAEDRIA.

Fiet sedulo.

GETA.

Nunc prior adito tu; ego in subsidiis hic ero
Succenturiatus, si quid deficias.

PHAEDRIA.

Age.

DEMIPHO. GETA. PHAEDRIA.

DEMIPHO.

Itane tandem uxorem duxit Antipho iniussu meo? II. 3.
Neque meum imperium, ac mitto imperium, non simultatem meam
Revereri saltem? non pudere? O facinus audax! o Geta
Monitor!

GETA.

Vix tandem!

DEMIPHO.

Quid mihi dicent aut quam causam reperient,
Demiror.

GETA.

Atqui reperi iam: aliquid cura.

DEMIPHO.

An hoc dicet mihi:
Invitus feci, lex coegit? — Audio; fateor;....

GETA.

Places.

DEMIPHO.

Verum scientem, tacitum, causam tradere adversariis,
Etiam idne lex coëgit?

PHAEDRIA.

Illud durum!

GETA.

Ego expediam; sine.

DEMIPHO.

Incertum est, quid agam, quia praeter spem atque incredibile hoc mi obtigit.
Ita sum inritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.
Quamobrem omnes, cum secundae res sunt maxume, tum maxume
Meditari secum oportet, quo pacto adversam aerumnam ferant;
Pericla, damna, exilia, peregre rediens semper cogitet,
Aut fili peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae;
Communia esse haec; fieri posse: ut ne quid animo sit novom;
Quidquid praeter spem evenit, omne id deputare esse in lucro.

GETA.

O Phaedria, incredibile quantum herum anteeo sapientia:
Meditata mihi sunt omnia mea incommoda: herus si redierit,

Molendum esse in pistrino, vapulandum, habendum compedes,
Opus ruri faciundum; horum nil quidquam accidet animo novom;
Quidquid praeter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro.
Set quid cessas hominem adire et blande in principio adloqui?

DEMIPHO.

Phaedriam mei fratris video filium mi ire obviam.

PHAEDRIA.

Mi patrue, salve.

DEMIPHO.

Salve. Set ubi est Antipho?

PHAEDRIA.

Salvom venire....

DEMIPHO.

Credo. Hoc responde mihi.

PHAEDRIA.

Valet; hic est. Set satin' omnia ex sententia?

DEMIPHO.

Vellem quidem!

PHAEDRIA.

Quid istuc?

DEMIPHO.

Rogitas, Phaedria?
Bonas, me absente hinc, confecistis nuptias!

PHAEDRIA.

Eho, an id succenses nunc illi?

GETA.

O artificem probum!

DEMIPHO.

Egone illi non succenseam? ipsum gestio
Dari in conspectum, nunc sua culpa ut sciat,
Lenem patrem illi factum me esse acerrumum!

PHAEDRIA.

At
Quid ille fecit, patrue, quod succenseas?

DEMIPHO.

Ecce omnia autem similia! omnes congruunt!
Vnum cognoris, omnes noris!

PHAEDRIA.

Haud ita est.

DEMIPHO.

In noxia hic est? ille ad defendendum adest;
Ille est? hic praesto est; tradunt operas mutuas....

GETA.

Probe horum facta imprudens depinxit senex.

DEMIPHO.

Nam ni haec ita essent, cum illo haud stares,
Phaedria.

PHAEDRIA.

Si est, culpam, patrue, ut Antipho in se admiserit,
Ex qua re minus fuit re vel famae temperans,
Causam non dico quin, quod meritus sit, ferat:
Set si quis forte, malitia fretus sua,
Insidias nostrae fecit adolescentiae,
Ac vicit, nostran' culpa ea est an iudicum,
Qui saepe aut propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi?

GETA.

Ni nossem causam, vera crederem hunc loqui.

DEMIPHO.

An quisquam iudex est, qui possit noscere
Tua iusta, ubi tute verbum non respondeas,
Ita ut ille fecit?

PHAEDRIA.

Functus adolescentuli est
Officium liberalis: postquam ad iudices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui:
Ita timidum ibi tum eum obstupefecit pudor.

GETA.

Laudo hunc. Set cesso adire quam primum senem?
Here, salve; salvom te advenisse gaudeo.

DEMIPHO.

Oh,

Bone custos, salve, columen vero familiae,
Cui commendavi filium hinc abiens meum!

GETA.

Iamdudum te omnes nos accusare audio
Immerito, et me horunc omnium immeritissumo:
Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?
Servom hominem causam orare leges non sinunt,
Neque testimoni dictio est.

DEMIPHO.

Mitto omnia
Istaec; imprudens timuit adolescens; sino;
Tu servos: verum si cognata est maxume,
Non fuit necesse, habere, set, id quod lex iubet,
Dotem daretis; alium quaereret virum:
Qua potius ratione inopem ducebat domum?

GETA.

Non ratio, verum argentum deerat.

DEMIPHO.

Sumeret
Alicunde.

GETA.

Alicunde? nihil est dictu facilius.

DEMIPHO.

Postremo, si nullo alio pacto, fenore.

GETA.

Hui, dixti pulchre, si quidem quisquam crederet
Te vivo.

DEMIPHO.

Non, non sic futurum est! non potest!
Ego illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nil suave meritum est! hominem commonstrarier
Mi istunc volo aut, ubi habitet, demonstrarier.

GETA.

Nam Phormionem?

DEMIPHO.

Patronum istum mulieris.

GETA.

Iam faxo hic aderit.

DEMIPHO.

Antipho ubi nunc est?

PHAEDRIA.

Foris.

DEMIPHO.

Abi, Phaedria, eum require atque adduce huc.

PHAEDRIA.

Eo

Recta via quidem illuc.

GETA.

Nempe ad Pamphilam.

DEMIPHO.

At

Ego deos Penates hinc salutatum domum
Devortar; inde ibo ad forum atque aliquot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient,
Vt ne imparatus sim, si adveniat Phormio.

PHORMIO. GETA.

PHORMIO.

Itane patris ais conspectum veritum hinc abiisse?

GETA.

Admodum. III. 1.

PHORMIO.

Phanium relictam solam....

GETA.

Sic.

PHORMIO.

Et iratum senem?

GETA.

Oppido.

PHORMIO.

Ad te summa solum, Phormio, rerum redit:
Tute hoc intristi: tibi omne est exedendum: accingere!

GETA.

Obsecro te,....

PHORMIO.

Si rogabit....

GETA.

In te spes est.

PHORMIO.

Eccere!

Quid, si reddet?

GETA.

Tu impulisti....

PHORMIO.

Sic opinor.

GETA.

Subveni!

PHORMIO.

Cedo senem: iam instructa sunt mihi corde consilia omnia.

GETA.

Quid ages?

PHORMIO.

Quid vis nisi, uti maneat Phanium, utque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam atque in me omnem iram derivem senis?

GETA.

O vir fortis atque amicus! verum hoc semper, Phormio,
Vereor, ne istaec fortitudo in nervom erumpat denique.

PHORMIO.

Ah,
Non ita est: factum est periclum; iam pedum visa est via!
Quot me censes homines iam deverberasse usque ad necem
Hospites, tum cives, quo mage notos, tanto saevius?

Cedo dum: en unquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam?

GETA.

Qui istuc?

PHORMIO.

Quia non rete accipitri tenditur neque miluo,
Qui male faciunt nobis; illis, nil qui faciunt, tenditur:
Quia enim in illis fructus est, in istis opera luditur.
Aliis aliunde est periclum, unde aliquid abradi potest;
Mihi sciunt nihil esse. Dices: ducent damnatum domum. —
Alere nolunt hominem edacem et sapiunt mea sententia,
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.

GETA.

Non pote sat pro merito ab illo tibi referri gratia.

PHORMIO.

Imo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.
Tene asymbolum venire lautum atque unctum e balneis,
Otiosum ab animo, cum ille et cura et sumtu absumitur?
Tibi dum fit, quod placeat, ille ringitur; tu rideas,
Prior bibas, prior decumbas; coena dubia adponitur....

GETA.

Quid istuc verbi est?

PHORMIO.

Vbi, quid sumas, dubites tu potissimum.
Haec cum rationem ineas quam sint suavia et quam cara sint,

Ea qui praebet, non tu hunc habeas plane praesentem deum?

GETA.

Senex adest: vide, quid agas: prima est coitio acerruma;
Si illanc sustinueris, postilla iam, ut lubet, ludas licet.

DEMIPHO. GETA. PHORMIO. HEGIO. CRATINVS. CRITO.

DEMIPHO.

En unquam cuiquam contumeliosius III. 2.
Audistis factam iniuriam, quam haec est mihi?
Adeste, quaeso!

GETA.

Iratus est.

PHORMIO.

Quin tu hoc agis?
Iam ego hunc agitabo. Proh deûm immortalium!
Negat esse hanc sibi cognatam Demipho?

GETA.

Negat.

PHORMIO.

Neque patrem se eius scire, qui fuerit?

GETA.

Negat.

DEMIPHO.

Ipsum esse opinor, de quo agebam: sequimini.

PHORMIO.

Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Negligitur ipsa! vide, avaritia quid facit!

GETA.

Si herum insimulabis malitiae, male audies.

DEMIPHO.

O audaciam! etiamne ultro accusatum advenit?

PHORMIO.

Nam iam adolescenti nihil est quod succenseam,
Si illunc minus norat: quippe homo iam grandior,
Pauper, cui in opere vita erat; ruri fere
Se continebat; ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat; saepe interea mihi senex
Narrabat, se hunc negligere cognatum suum:
At quem virum! quem ego viderim in vita optumum!

GETA.

Videas te atque illum, ut narras! abi!

PHORMIO.

Nam ni ita eum
Existumassem, nunquam tam graves ob hanc
Ego inimicitias caperem in vostram familiam,
Quam is adspernatur nunc tam inliberaliter.

GETA.

Pergin' hero absenti male loqui, impurissume?

PHORMIO.

Dignum autem hoc illo est!

GETA.

Ain' tamen, carcer,....

DEMIPHO.

Geta!

GETA.

Bonorum extortor, legum contortor?

DEMIPHO.

Geta!

PHORMIO.

Responde.

GETA.

Quis homo est? hem!

DEMIPHO.

Tace.

GETA.

Absenti tibi
Te indignas seque dignas contumelias
Nunquam cessavit dicere.

DEMIPHO.

Ohe, iam desine! —
Adolescens, primum abs te hoc bona venia peto,
Si tibi placere potis est, mi ut respondeas:
Quem amicum ais fuisse tuum istunc? explana mihi,
Et, qui cognatum me sibi esse diceret.

PHORMIO.

Proinde expiscare, quasi non nosses!

DEMIPHO.

Nossem?

PHORMIO.

Ita.

DEMIPHO.

Ego me nego; tu, qui ais, redige in memoriam.

PHORMIO.

Eho, tu sobrinum tuum non noras?

DEMIPHO.

Enicas;
Dic nomen.

PHORMIO.

Nomen? maxume.

DEMIPHO.

Quid nunc taces?

PHORMIO.

Perii hercle! nomen perdidi.

DEMIPHO.

Hem, quid ais?

PHORMIO.

Geta,
Si meministi id, quod olim dictum est, subiice.
— Hem,
Non dico! quasi non noris! tentatum advenis!

DEMIPHO.

Egon' autem tento?

GETA.

Stilpho.

PHORMIO.

Atque adeo quid mea?
Stilpho est.

DEMIPHO.

Quem dixti?

PHORMIO.

Stilphonem, inquam, noveras?

DEMIPHO.

Neque ego illum noram neque mihi cognatus fuit
Quisquam istoc nomine.

PHORMIO.

Itane? non te horúm pudet?
At si talentûm rem reliquisset decem,....

DEMIPHO.

Di tibi male faciant!

PHORMIO.

Primus esses, memoriter
Progeniem vostram usque ab avo atque atavo proferens.

DEMIPHO.

Ita ut dicis. — Enim, tum si advenissem, qui mihi
Cognata ea esset, diceres: id iam face:
Cedo, qui cognata?

GETA.

Eu, noster! recte! — Heus tu, cave!

PHORMIO.

Dilucide expedivi, quîs me oportuit,
Iudicibus: tum, si id falsum fuerat, filius
Cur non refellit?

DEMIPHO.

Filium narras mihi,
Cuius de stultitia dici, ut dignum est, non potest?

PHORMIO.

At tu, qui sapiens es, magistratus adi:
Quandoquidem solus regnas et soli licet,
Hic de eadem causa bis iudicium apiscier.

DEMIPHO.

Etsi mihi facta iniuria est, verum tamen

Potius quam lites secter aut quam te audiam,
Itidem ut cognata si sit, id quod lex iubet,
Dotem dare, abduce hanc, minas quinque accipe.

PHORMIO.

Ha ha he, homo suavis!

DEMIPHO.

Quid? num iniquom postulo?
An ne hoc quidem ego adipiscar, quod ius publicum est?

PHORMIO.

Itan' tandem, quasi meretricem, ubi abusus sies,
Mercedem lex dare iubet atque amittere, an,
Vt ne quid turpe civis in se admitteret
Propter egestatem, proxumo iussa est dari,
Vt cum uno aetatem degeret? quod tu vetas.

DEMIPHO.

Ita: proxumo quidem; at unde nos aut quam ob rem....

PHORMIO.

Ohe,
Actum, aiunt, ne agas!

DEMIPHO.

Non agam? imo haud desinam,
Donec perfecero hoc.

PHORMIO.

Ineptis.

DEMIPHO.

Sine modo!

PHORMIO.

Postremo tecum nil re nobis, Demipho, est:
Tuus est damnatus gnatus, non tu: nam tua
Praeterierat iam ducendi aetas.

DEMIPHO.

Omnia haec
Illum putato, quae ego nunc dico, dicere,
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.

GETA.

Iratus est!

PHORMIO.

Tantundem. — Melius feceris!

DEMIPHO.

Itane es paratus facere me advorsum omnia,
Infelix?

PHORMIO.

Metuit hic nos, tametsi sedulo
Dissimulat.

GETA.

Bene principia tibi habent.

PHORMIO.

Quin, quod est
Ferundum, fers (tuis dignum factis feceris),
Vt amici inter nos simus?

DEMIPHO.

Egon' tuam expetam
Amicitiam aut te visum atque auditum velim?

PHORMIO.

Si concordàbis cum illa, habebis, quae tuam
Senectam oblectet: respice aetatem tuam.

DEMIPHO.

Te oblectet! tibi habe!

PHORMIO.

Minue vero iram.

DEMIPHO.

Hoc age
(Satis iam verborum est): nisi tu properas, mulierem
Abducere, ego illam eiiciam! Dixi, Phormio.

PHORMIO.

Si tu illam attigeris secus quam dignum est liberam,
Dicam tibi grandem impingam! Dixi, Demipho. —
Si opus quid fuerit, heus, domo me!

GETA.

Intelligo. —

DEMIPHO.

Quanta me cura et sollicitudine adficit

Gnatus, qui me suis impedivit nuptiis,
Neque mi in conspectum prodit, ut saltem sciam,
Quid de hac re dicat quidve sit sententiae.
Abi, vise, redieritne iam an nondum domum.

GETA.

Eo.

DEMIPHO.

Videtis, quo in loco res haec siet:
Quid ago? dic, Hegio.

HEGIO.

Ego? Cratinum censeo,
Si tibi videtur.

DEMIPHO.

Dic, Cratine.

CRATINVS.

Mene?

DEMIPHO.

Te.

CRATINVS.

Ego, quae in rem tuam sint, ea velim facias. Mihi
Sic hoc videtur, quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum, aequom esse ac bonum;
Et id impetrabis. Dixi.

DEMIPHO.

Dic nunc, Hegio.

HEGIO.

Ego sedulo hunc dixisse credo; verum ita est:
Quot homines, tot sententiae; suus cuique mos:
Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse, et turpe inceptu est.

DEMIPHO.

Dic, Crito.

CRITO.

Ego amplius deliberandum censeo:
Res magna est.

HEGIO.

Numquid nos vis?

DEMIPHO.

Fecistis probe:
Incertior sum multo quam dudum.

GETA.

Negant
Redisse.

DEMIPHO.

Frater est expectandus mihi;
Is quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.
Percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.

GETA.

At ego Antiphonem quaeram, ut, quae acta hic sint, sciat.
Set eccum ipsum video in tempore huc se recipere.

ANTIPHO. GETA.

ANTIPHO.

Enimvero, Antipho, multimodis cum istoc animo es vituperandus. III. 3.
Itane te hinc abisse et vitam tuam aliis tutandam dedisse?
Alios tuam rem credidisti mage quam tete animadvorsuros?
Nam, utut erant alia, illi certe, quae nunc tibi domi est, consuleres,
Ne quid, propter tuam fidem decepta, potiretur mali,
Cuius nunc miserae spes opesque in te uno sunt omnes sitae!

GETA.

Et quidem, here, nos iamdudum abs re te hinc incusamus qui abieris,...

ANTIPHO.

Te ipsum quaerebam.

GETA.

Set ea causa nihilo mage defecimus.

ANTIPHO.

Loquere, obsecro: quonam in loco sunt res et fortunae meae?

Num patri subolet quid?

GETA.

Nil etiam.

ANTIPHO.

Spe quid porro est?

GETA.

Nescio,....

ANTIPHO.

Ah!

GETA.

Nisi Phaedria haud cessavit pro te eniti.

ANTIPHO.

Nil fecit novi.

GETA.

Tum Phormio itidem in hac re, ut aliis, strenuum hominem praebuit.

ANTIPHO.

Quid is fecit?

GETA.

Confutavit verbis admodum iratum senem.

ANTIPHO.

Eu, Phormio!

GETA.

Ego, quod potui, porro.

ANTIPHO.

Mi Geta, omnes vos amo.

GETA.

Sic habent principia sese, ut dico; adhuc tranquilla res est,

Mansurusque patruum pater est, dum huc adveniat.

ANTIPHO.

Quid eum?

GETA.

At aibat,
De eius consilio sese velle facere, quod ad hanc rem attinet.

ANTIPHO.

Quantus metus est mihi, venire huc salvom nunc patruum, Geta!
Nam pro eius una aut vivam aut moriar, ut audio, sententia.

GETA.

Phaedria tibi adest.

ANTIPHO.

Vbinam?

GETA.

Eccum ab sua palaestra exit foras.

PHAEDRIA. DORIO. ANTIPHO. GETA.

PHAEDRIA.

Dorio, obsecro, audi....

DORIO.

Non.

PHAEDRIA.

Parumper!

DORIO.

Quin omitte me! III. 4.

PHAEDRIA.

Audi, quod dicam!

DORIO.

At enim taedet audire eadem milies.

PHAEDRIA.

At nunc dicam, quod lubenter audias.

DORIO.

Loquere; audio.

PHAEDRIA.

Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? — quo nunc abis?

DORIO.

Mirabar, tu si quidquam mi adferres novi.

ANTIPHO.

Hei, lenonem vereor, ne quid....

GETA.

Suo capiti fuat! — Idem ego vereor. —

PHAEDRIA.

Non mihi credis?

DORIO.

Hariolare.

PHAEDRIA.

Sin fidem do?

DORIO.

Fabulae!

PHAEDRIA.

Feneratum istuc beneficium pulchre tibi dices!

DORIO.

Logi!

PHAEDRIA.

Crede mihi: gaudebis facto. Verum hercle hoc est.

DORIO.

Somnia!

PHAEDRIA.

Experire: non est longum.

DORIO.

Cantilenam eandem canis?

PHAEDRIA.

Tu cognatus, tu parens, tu amicus, tu....

DORIO.

Garri modo.

PHAEDRIA.

Adeone esse duro ingenio te atque inexorabili,
Vt neque misericordia neque precibus molliri queas?

DORIO.

Adeon' te esse incogitantem atque imprudentem, Phaedria,
Vt phaleratis dictis ducas me, et meam ductes gratiis?

ANTIPHO.

Miseritum est.

PHAEDRIA.

Hei, veris vincor!

GETA.

Quam uterque est similis sui!

PHAEDRIA.

Neque, Antipho alia cum occupatus esset sollicitudine,
Tum hoc esse mihi obiectum malum! —

ANTIPHO.

Ah, quid istuc autem est, Phaedria?

PHAEDRIA.

O fortunatissume Antipho,....

ANTIPHO.

Egone?

PHAEDRIA.

Cui, quod amas, domi est,
Nec cum huiusmodi usus venit ut conflictares malo!

ANTIPHO.

Mihin' domi est? imo, id quod aiunt, auribus teneo lupum:
Nam neque, qui amittam a me, invenio, neque, uti retineam, scio.

DORIO.

Ipsum istuc mihi in hoc est.

ANTIPHO.

Heia, ne parum leno sies! —
Numquid hic confecit?

PHAEDRIA.

Hiccine? quod homo inhumanissimus:
Pamphilam meam vendidit!

GETA.

Quid? vendidit?

ANTIPHO.

Ain'? vendidit?

PHAEDRIA.

Vendidit!

DORIO.

Quam indignum facinus, ancillam aere emtam suo!

PHAEDRIA.

Nequeo exorare, ut me maneat et cum illo mutet fidem
Triduum hoc, dum id, quod promissum ab amicis, argentum aufero. —
Si non tum dedero, unam praeterea horam ne oppertus sies.

DORIO.

Obtundis.

ANTIPHO.

Haud longum est, quod orat, Dorio: exoret sine:
Idem tibi hic, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.

DORIO.

Verba istaec sunt.

ANTIPHO.

Pamphilamne hac urbe privari sines?
Tum praeterea, horunc amorem distrahi, poterin' pati?

DORIO.

Neque ego necto!

GETA.

Di tibi omnes id, quod es dignus, duint!

DORIO.

Ego te complures advorsum ingenium meum menses tuli,
Pollicitantem, nil ferentem, flentem; nunc contra omnia haec

Repperi, qui det neque lacrumet: da locum melioribus.

ANTIPHO.

Certe hercle, ego si sat commemini, tibi quidem est olim dies,
Quoad dares huic, praestituta?

PHAEDRIA.

Factum.

DORIO.

Num ego istuc nego?

ANTIPHO.

Iam ea praeteriit?

DORIO.

Non; verum haec ei antecessit.

ANTIPHO.

Non pudet
Vanitatis?

DORIO.

Minume, dum ob rem.

GETA.

Sterculinum!

PHAEDRIA.

Dorio,
Itane tandem facere oportet?

DORIO.

Sic sum: si placeo, utere.

ANTIPHO.

Sicne hunc decipis?

DORIO.

Imo enimvero, Antipho, hic me decipit:
Nam huiusmodi me hic scibat esse, ego hunc esse aliter credidi;
Iste me fefellit, ego isti nihilo sum aliter ac fui.
Set utut haec sunt, tamen haec faciam: cras mane argentum mihi
Miles dare se dixit: tu si prior attuleris, Phaedria,
Mea lege utar, potior ut sit, prior ad dandum qui est. Vale.

PHAEDRIA.

Quid faciam? unde ego nunc tam subito hoc argentum inveniam miser,
Cui minus nihilo est? quodsi hinc pote fuisset exorarier
Triduum hoc, promissum fuerat.

ANTIPHO.

Itane hunc patiemur, Geta,
Miserum fieri, qui me dudum, ut dixti, adiurit comiter?
Quin, cum opus, beneficium ei rursus experimur reddere?

GETA.

Scio equidem, hoc esse aequom.

ANTIPHO.

Age ergo: solus servare hunc potes.

GETA.

Quid faciam?

ANTIPHO.

Invenias argentum.

GETA.

Cupio; set id unde, edoce.

ANTIPHO.

Pater adest hic.

GETA.

Scio; set quid tum?

ANTIPHO.

Ah, dictum sapienti sat est.

GETA.

Itane?

ANTIPHO.

Ita.

GETA.

Hercle sane! pulchre suades! etiam tu hinc abis?
Non triumpho, ex nuptiis si nil tuis nanciscor mali?
Ne huius me etiam causa quaerere in malo iubeas crucem.

ANTIPHO.

Verum hic dicit.

PHAEDRIA.

Quid? ego vobis, Geta, alienus sum?

GETA.

Haud puto;

Set parum est, quod omnibus nunc nobis succenset senex,

Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci?

PHAEDRIA.

Alius meis ab oculis illam hinc ignotum abducet locum? — Hem!

Dum igitur licet dumque adsum, loquimini mecum, Antipho!

Contemplamini me!

ANTIPHO.

Quamobrem? aut quidnam facturus? cedo!

PHAEDRIA.

Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi

Aut perire.

GETA.

Di bene vortant, quod agas! pedetentim tamen!

ANTIPHO.

Vide, si quid pote opis adferri huic.

GETA.

Si quid! quid?

ANTIPHO.

Quaere, obsecro,

Ne quid plus minusve faxit, quod nos post pigeat, Geta!

GETA.

Quaero. — Salvos est, ut opinor! — Verum enim metuo malum!

ANTIPHO.

Noli metuere: una tecum bona, mala, tolerabimus.

GETA.

Quantum est opus argenti? eloquere.

PHAEDRIA.

Solae triginta minae.

GETA.

Triginta? hui, percara est, Phaedria!

PHAEDRIA.

Istaec vero vilis est.

GETA.

Age, age, inventas reddam.

PHAEDRIA.

O lepidum!

GETA.

Auferte!

PHAEDRIA.

At iam opus.

GETA.

Iam feres.

Set opus est, mihi Phormionem ad hanc rem adiutorem dari. Ac

Praesto est.

ANTIPHO.

Audacissume oneris quidvis impone ei: feret:

Solus est homo amico amicus.

GETA.

Eamus ergo ad eum ocius.

ANTIPHO.

Numquid est, quod mea opera vobis opus sit?

GETA.

Nil, verum abi domum et

Illam miseram, quam ego nunc intus esse scio exanimam metu,

Consolare. cessas?

ANTIPHO.

Nihil est, aeque quod faciam lubens.

PHAEDRIA.

Qua via istuc facies?

GETA.

Dicam in itere. modo te hinc amove.

DEMIPHO. CHREMES.

DEMIPHO.

Quid? qua profectus causa hinc es Lemnum, Chreme, IV. 1.
Adduxtin' tecum filiam?

CHREMES.

Non.

DEMIPHO.

Quid ita nam?

CHREMES.

Postquam videt me eius mater esse hic diutius,
Simul autem non manebat aetas virginis
Meam negligentiam, ipsam cum omni familia
Ad me profectam esse aibant.

DEMIPHO.

Quid illic tam diu,
Quaeso, igitur commorabare, id ubi audiveras?

CHREMES.

Pol me detinuit morbus.

DEMIPHO.

Vnde aut qui?

CHREMES.

Rogas?
Senectus ipsa est morbus. Set venisse eas
Salvas audivi ex nauta, qui illas vexerat.

DEMIPHO.

Quid gnato obtigerit me absente, audistin', Chreme?

CHREMES.

Audî. quod quidem me consili incertum facit:

Nam hanc conditionem si cui tulero extrario,
Quo pacto aut unde mihi sit, dicundum ordine est;
Te mihi fidelem esse aeque atque egomet sum mihi,
Scibam; ille si me alienus adfinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas;
Sin spreverit me, plus quam opus scito sciet,
Vereorque, ne uxor aliqua hoc resciscat mea;
Quod si fit, ut me excutiam atque egrediar domo,
Id restat: nam ego meorum solus sum meus.

DEMIPHO.

Scio, ita esse, et istaec mihi res sollicitudini est,
Neque defetiscar usque adeo experirier,
Donec tibi id, pollicitus quod sum, effecero.

GETA.

Ego hominem callidiorem vidi neminem IV. 2.
Quam Phormionem: veni ad hominem, ut dicerem,
Argentum esse opus, et, id quo pacto fieret;
Vixdum dimidium dixeram, intellexerat,
Gaudebat, me laudabat, quaerebat senem,
Dîs gratias agebat, sibi tempus dari,
Vbi esse amicum Phaedriae nihilo minus
Ostenderet se quam Antiphoni. hominem ad forum
Iussi opperirier: eo me adducturum senem.
Set eccum ipsum! quis est ulterior? attat, Phaedriae
Pater venit! set quid pertimui autem, belua?
An quia, quos fallam, duo mihi sunt pro uno dati?
Commodius esse duplici opinor spe utier.

Petam hinc, unde a primo institui; is si dat, sat est;
Si ab eo nil fiet, tum hunc adoriar hospitem.

ANTIPHO. GETA. CHREMES. DEMIPHO.

ANTIPHO.

Expecto, quam mox recipiat sese Geta. IV. 3.
Set patruum video adstantem cum patre! hei mihi,
Quam timeo, adventus huius quo impellat meum!

GETA.

Adibo. O salve, noster....

CHREMES.

Salveto, Geta.

GETA.

Venisse salvom volupe est.

CHREMES.

Credo.

GETA.

Quid agitur?

CHREMES.

Multa advenienti hic nova, uti fit compluries.

GETA.

Ita. De Antiphone audistin' quae facta?

CHREMES.

Omnia.

GETA.

Tun' dixeras huic? — Facinus indignum, Chreme,
Sic circumiri!

CHREMES.

Id cum hoc agebam commodum.

GETA.

Nam hercle ego quoque id quidem agitans mecum sedulo,
Inveni, opinor, remedium huic re.

CHREMES.

Quid, Geta?

DEMIPHO.

Quod remedium?

GETA.

Vt abii abs te, fit forte obviam
Mihi Phormio.

CHREMES.

Qui Phormio?

GETA.

Is, qui istanc....

CHREMES.

Scio.

GETA.

Visum est mi, ut eius tentarem prius sententiam:
Prendo hominem solum: cur non, inquam, Phormio,
Vides, inter vos sic haec potius cum bona
Vt componantur gratia quam cum mala?
Herus liberalis est et fugitans litium:
Nam ceteri quidem hercle amici omnes modo
Vno ore auctores fuere, ut praecipitem hanc daret.

ANTIPHO.

Quid hic coeptat aut quo evadet hodie?

GETA.

An legibus
Poenas daturum dices, si illam eiecerit?
Iam id exploratum est; heia, sudabis satis,
Si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est.
Verum pono, esse victum eum; at tandem tamen
Non capitis ei res agitur, set pecuniae.
Postquam hominem his verbis sentio mollirier:
Soli sumus hic nunc, inquam; eho dic, quid vis dari
Tibi in manum, herus ut his desistat litibus,
Haec hinc facessat, tu molestus ne sies?....

ANTIPHO.

Satin' illi di sunt propitii?

GETA.

Nam sat scio,
Si tu aliquam partem aequi bonique dixeris,
Vt bonus ille est vir, tria non commutabitis
Verba hodie inter vos.

DEMIPHO.

Quis te istaec iussit loqui?

CHREMES.

Imo non potuit melius pervenirier
Eo, quo nos volumus.

ANTIPHO.

Occidi!

CHREMES.

Perge eloqui.

GETA.

A primo homo insanibat.

DEMIPHO.

Cedo, quid postulat?

GETA.

Quid? nimium quantum!

DEMIPHO.

Quantum? dic.

GETA.

Si quis daret
Talentum magnum.

DEMIPHO.

Imo malum hercle! ut nil pudet!

GETA.

Quod dixi ei adeo: quaeso, quid, si filiam
Suam unicam locaret? parvi retulit
Non suscepisse: inventa est, quae dotem petat!
Ad pauca ut redeam ac mittam illius ineptias,
Haec denique eius postrema fuit oratio:
Ego, inquit, iam a principio amici filiam,
Ita ut aequom fuerat, volui uxorem ducere:
Nam in mentem mihi venibat eius incommodi,
In servitutem pauperem ad ditem dari;
Set mi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,

Aliquantulum quae adferret, qui dissolverem,
Quae debeo, et nunc etiam, si volt Demipho
Dare, quantum ab hac accipio, quae sponsa est mihi,
Nullam mihi malim quam istanc uxorem dari.

ANTIPHO.

Vtrum facere ego stultitia hunc an malitia
Dicam, scientem an imprudentem, incertus sum.

DEMIPHO.

Quid, si animam debet?

GETA.

Ager oppositus pignori ob
Decem mnas, inquit.

DEMIPHO.

Age, age, iam ducat: dabo.

GETA.

Aediculae item sunt alias ob decem;....

DEMIPHO.

Oieï,
Nimium est!

CHREMES.

Ne clama. — Petito illasce a me decem.

GETA.

Vxori emunda ancilla est; tum autem pluscula
Supellex opus est, opus est sumtu ad nuptias:
His rebus alias pone sane, inquit, decem.

DEMIPHO.

Sexcentas proinde scribito iam mihi dicas:
Nil do. Impuratus me ille ut etiam inrideat?

CHREMES.

Quaeso (ego dabo), quiesce. tu modo filius
Fac ut illam ducat, nos quam volumus....

ANTIPHO.

Hei mihi,
Geta, occidisti me tuis fallaciis!

CHREMES.

Mea causa eiicitur: me hoc est aequom amittere.

GETA.

GETA.

Quantum potest me certiorem, inquit, face,
Si illanc dant, hanc ut mittam, ne incertus siem:
Nam illi mihi dotem iam constituerunt dare.

CHREMES.

Iam accipiet: illis repudium renuntiet,
Hanc ducat.

DEMIPHO.

Quae quidem illi res vortat male!

CHREMES.

Opportune adeo nunc mecum argentum attuli,
Fructum, quem uxoris Lemni reddunt praedia;
Sumam inde; uxori, tibi opus esse, dixero. —

ANTIPHO.

Geta,....

GETA.

Hem!

ANTIPHO.

Quid egisti?

GETA.

Argento emunxi senes.

ANTIPHO.

Satin' est id?

GETA.

Nescio hercle: tantum iussus sum.

ANTIPHO.

Eho, verbero, aliud mihi respondes ac rogo?

GETA.

Quid ergo narras?

ANTIPHO.

Quid ego narrem? opera tua
Ad restim mihi quidem res redit planissume.
Vt te quidem omnes di, deae, superi, inferi,
Malis exemplis perdant! Hem, si quid velis,
Huic mandes, qui te ad scopulum e tranquillo auferat!
Quid minus utibile fuit quam hoc ulcus tangere
Aut nominare uxorem? iniecta est spes patri,

Posse illam extrudi. Cedo, nunc porro Phormio
Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum:
Quid fiet?

GETA.

Non enim ducet.

ANTIPHO.

Novi. Ceterum
Cum argentum repetent, nostra causa scilicet
In nervom potius ibit!

GETA.

Nihil est, Antipho,
Quin male narrando possit depravarier.
Tu id quod boni est excerpis, dicis quod mali est.
Audi nunc contra iam: si argentum acceperit,
Ducenda est uxor, ut ais; concedo tibi:
Spatium quidem tamen adparandis nuptiis,
Vocandi, sacrificandi, dabitur paululum;
Interea amici, quod polliciti sunt, dabunt;
Inde iste reddet.

ANTIPHO.

Quamobrem? quid dicet?

GETA.

Rogas?
„Quot res postilla monstra evenerunt mihi!
Introiit in aedes ater alienus canis;
Anguis in impluvium decidit de tegulis;
Gallina cecinit; interdixit hariolus;
Haruspex vetuit ante brumam autem novi
Aliquid incipere: quae causa est iustissima."
Haec fient.

ANTIPHO.

Vt modo fiant!

GETA.

Fient; me vide!
Pater exit: abi, dic, esse argentum, Phaedriae.

DEMIPHO.

Quietus esto, inquam: ego curabo, ne quid verborum duit;

Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin mihi testes adhibeam:
Cui dem, quamobrem dem, commemorabo.

GETA.

Vt cautus est, ubi nil opus!

CHREMES.

Atqui ita facto opus est, et matura, dum lubido eadem haec manet:
Nam si altera illaec magis instabit, forsitan nos reiciat.

GETA.

Rem ipsam putasti.

DEMIPHO.

Duc me ad eum ergo.

GETA.

Non moror.

CHREMES.

Hoc ubi egeris,
Transito ad uxorem meam, ut conveniat hanc prius quam hinc abit,
Dicat, dare eam nos Phormioni nuptum: ne succenseat;
Et, magis esse illum idoneum, qui ipsi sit familiarior;
Nos nostro officio nil degressos, quantum is voluerit dari
Datum esse dotis.

DEMIPHO.

Quid tua autem id refert?

CHREMES.

Magni, Demipho:
Non sat, te officium tuum fecisse, fama si id non adprobat.
Volo, ipsa quoque volente haec fieri, ne se éiectam praedicet.

DEMIPHO.

Idem ego istoc facere possum.

CHREMES.

Mulier mulieri mage congruit.

DEMIPHO.

Rogabo.

CHREMES.

Vbi illas nunc ego reperire possim, cogito.

SOPHRONA.

Quid agam? quem mihi amicum misera inveniam, cui consilia haec referam, atque unde mi auxilium petam? IV. 4.
Nam vereor, hera, meum ne ob suasum indigne iniuria adficiatur:
Ita patrem adolescentis facta haec tolerare audio violenter....

CHREMES. SOPHRONA.

CHREMES.

Nam quae haec anus est exanimata, a fratre quae egressa est meo? IV. 5.

SOPHRONA.

Quod ut consulerem, egestas impulit me, cum hasce nuptias
Infirmas esse scirem, interea vita ut in tuto foret.

CHREMES.

Certe edepol, nisi me animus fallit aut parum prospiciunt oculi,
Meae nutricem gnatae video.

SOPHRONA.

Neque is investigatur,....

CHREMES.

Quid ago,....

SOPHRONA.

Qui eius pater est,...:.

CHREMES.

Adeo an maneo, dum, haec quae loquitur, mage cognosco?

SOPHRONA.

Quod si eum nunc reperire possim, nihil est, quod verear.

CHREMES.

Ea est ipsa!
Conloquar.

SOPHRONA.

Quis hic loquitur?

CHREMES.

Sophrona,....

SOPHRONA.

Hem, meum nomen nominat!

CHREMES.

Respice ad me!

SOPHRONA.

Di, obsecro vos, Stilphon' hic est?

CHREMES.

Non.

SOPHRONA.

Negas?

CHREMES.

Concede a foribus paululum hinc istorsum sodes, Sophrona. —
Ne me istoc posthac nomine adpellassis.

SOPHRONA.

Quid? non, obsecro, es,
Quem semper te esse dictitasti?

CHREMES.

St!....

SOPHRONA.

Quid has metuis fores?

CHREMES.

Conclusam hic habeo uxorem saevam. Verum istoc me nomine
Eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris
Effutiretis atque id porro aliqua uxor mea rescisceret.

SOPHRONA.

Hem, istoc pol nos te hic invenire miserae nusquam potuimus.

CHREMES.

Eho, dic mihi, quid re tibi est cum familia hac, unde exis?
Vbi illae?

SOPHRONA.

Miseram me!

CHREMES.

Hem, quid est? vivuntne?

SOPHRONA.

Vivit gnata;
Matrem ipsam ex aegritudine hac mors miseram consecuta est;....

CHREMES.

Male factum!

SOPHRONA.

Ego autem, quae essem anus deserta, egens, ignota,
Vt potui, nuptum virginem locavi huic adolescenti,
Harum qui est dominus aedium.

CHREMES.

Antiphonine?

SOPHRONA.

Isti, inquam, ipsi.

CHREMES.

Quid? duasne is habet uxores?

SOPHRONA.

Obsecro, illic hanc quidem unam.

CHREMES.

Quid illam alteram, quae dicitur cognata?

SOPHRONA.

Haec ergo est.

CHREMES.

Quid ais?

SOPHRONA.

Composito factum est, quomodo hanc amans habere posset
Sine dote.

CHREMES.

Di, vostram fidem, quam saepe forte temere
Eveniunt, quae non audeas optare! offendi adveniens,
Quicum volebam atque ut volebam, conlocatam filiam:
Quod nos ambo opere maxumo dabamus operam ut fieret,
Sine nostra cura, maxuma sua cura, haec sola effecit!

SOPHRONA.

Nunc, opus quid sit facto, vide: pater adolescentis venit,
Eumque animo iniquo hoc oppido ferre aiunt.

CHREMES.

Nil pericli est.
Set, per deos atque homines, cave esse hanc meam resciscat quisquam.

SOPHRONA.

Nemo ex me.

CHREMES.

Sequere me; intus cetera audies.



DEMIPHO. GETA.

DEMIPHO.

Nostrapte culpa facimus, ut malis expediat esse, V. I.
Dum nimium dici nos bonos studemus et benignos.
Ita fugias ne praeter casam, quod aiunt. nonne id sat erat,
Accipere ab illo iniuriam? etiam argentum est ultro obiectum,
Vt sit qui vivat, dum aliud aliquid flagiti conficiat!

GETA.

Planissume.

DEMIPHO.

Iis nunc praemium est, qui recta prava faciunt....

GETA.

Verissume.

DEMIPHO.

Vt stultissume quidem illi rem gesserimus.

GETA.

Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat.

DEMIPHO.

Etiam idne dubium est?

GETA.

Haut scio hercle, ut homo est, an mutet animum.

DEMIPHO.

Hem, mutet autem?

GETA.

Nescio; verum, si forte, dico.

DEMIPHO.

Ita faciam, ut frater censuit, ut uxorem huc eius adducam,
Cum ista ut loquatur. Tu, Geta, abi, praenuntia, hanc venturam.

GETA.

Argentum inventum est Phaedriae; de iurgio siletur;
Provisum est, ne in praesentia haec hinc abeat; quid nunc porro,
Quid, fiet? in eodem haesitas luto, vorsura solvis:
Praesens quod fuerat, in diem malum abiit, plagae crescunt,
Nisi prospicis. Nunc hinc domum ibo ac Phanium edocebo,
Ne quid vereatur Phormionem aut huius orationem.

DEMIPHO. NAVSISTRATA.

DEMIPHO.

Agedum, ut soles, Nausistrata, fac, illa ut placetur nobis, V. 2.
Vt sua voluntate id, quod est faciundum, faciat.

NAVSISTRATA.

Faciam.

DEMIPHO.

Pariter nunc opera me adiuvas ac re dudum opitulata es.

NAVSISTRATA.

Factum volo; at pol minus viri queo culpa quam me dignum est.

DEMIPHO.

Quid autem?

NAVSISTRATA.

Quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam iste ex praediis talenta argenti bina
Capiebat statim. Hem, vir viro quid praestat!

DEMIPHO.

Bina, quaeso?

NAVSISTRATA.

Ac rebus vilioribus multo; tamen duo bina!

DEMIPHO.

Hui!

NAVSISTRATA.

Quid haec videntur?

DEMIPHO.

Scilicet.

NAVSISTRATA.

Virum me natum vellem!
Ostenderem ego,....

DEMIPHO.

Certo scio.

NAVSISTRATA.

Quo pacto....

DEMIPHO.

Parce sodes,
Vt possis cum illa: ne te adolescens mulier defetiget.

NAVSISTRATA.

Faciam, ut iubes. Set meum virum abs te exire video.

CHREMES. DEMIPHO. NAVSISTRATA.

CHREMES.

Hem, Demipho, V. 3.
Iam illi datum est argentum?

DEMIPHO.

Curavi illico.

CHREMES.

Nollem datum. —
Hei, video uxorem; pene plus quam sat erat....

DEMIPHO.

Cur nolles, Chreme?

CHREMES.

Iam recte.

DEMIPHO.

Quid tu? ecquid locutus cum ista es, quamobrem hanc ducimus?

CHREMES.

Transegi.

DEMIPHO.

Quid ait tandem?

CHREMES.

Abduci non potest.

DEMIPHO.

Qui non potest?

CHREMES.

Quia uterque utrique est cordi.

DEMIPHO.

Quid istuc nostra?

CHREMES.

Magni. praeterhac
Cognatam comperi esse nobis.

DEMIPHO.

Quid? deliras?

CHREMES.

Sic erit;
Non temere dico: redii mecum in memoriam.

DEMIPHO.

Satin' sanus es?

NAVSISTRATA.

Au, obsecro, cave, ne in cognatam pecces.

DEMIPHO.

Non est.

CHREMES.

Ne nega.
Patris nomen aliud dictum est: hoc tu errasti.

DEMIPHO.

Non norat patrem?

CHREMES.

Norat.

DEMIPHO.

Cur aliud dixit?

CHREMES.

Nunquamne hodie concedes mihi
Neque intelliges?

DEMIPHO.

Si nil tu narras.

CHREMES.

Pergis?

NAVSISTRATA.

Miror, hoc quid est.

DEMIPHO.

Equidem hercle nescio.

CHREMES.

Vin' scire? at, ita me servet Iupiter,
Vt propior illi quam ego sum ac tu homo nemo est!

DEMIPHO.

Di, vostram fidem!
Eamus ad ipsam: una omnes nos aut scire aut nescire hoc volo.

CHREMES.

Ah!

DEMIPHO.

Quid est?

CHREMES.

Itan' parvam mihi fidem esse apud te? vin' mihi credere?
Vin' satis quaesitum mi istuc esse?

DEMIPHO.

Age, fiat. Quid? illa filia
Amici nostri quid futurum est?

CHREMES.

Recte.

DEMIPHO.

Hanc igitur mittimus?

CHREMES.

Quidni?

DEMIPHO.

Illa maneat?

CHREMES.

Sic.

DEMIPHO.

Ire igitur tibi licet, Nausistrata.

NAVSISTRATA.

Sic pol commodius esse in omnes arbitror quam ut coeperas,
Manere hanc: nam perliberalis visa est, cum vidi, mihi. —

DEMIPHO.

Quid istuc negoti est?

CHREMES.

Iamne operuit ostium?

DEMIPHO.

Iam.

CHREMES.

O Iupiter,
Di nos respiciunt: gnatam inveni nuptam cum tuo filio.

DEMIPHO.

Hem,
Quo pacto id potuit?

CHREMES.

Non sat tutus est ad narrandum hic locus.

DEMIPHO.

At tu intro abi, heus!

CHREMES.

Ne filii quidem nostri hoc resciscant volo.

ANTIPHO.

Laetus sum, utut meae res se habent, fratri obtigisse, quod volt. V. 4.
Quam scitum est, eiusmodi parare in animo cupiditates,

Quas, quom res advorsae sient, paulo mederi possis!
Hic simul argentum repperit, cura sese expedivit;
Ego nullo possum remedio me evolvere his ex turbis,
Quin, si hoc celetur, in metu, sin patefit, in probro sim;
Neque nunc domum me reciperem, ni mi esset spes ostenta
Huiusce habendi. Set ubinam Getam invenire possim,
Quod tempus capere suadeat me patris conveniundi?

PHORMIO. ANTIPHO.

PHORMIO.

Argentum accepi; tradidi lenoni; abduxi mulierem; V. 5.
Curavi, propria Phaedria ut poteretur: nam emissa est manu;
Nunc una mihi res etiam restat, quae est conficiunda, otium
A senibus ad potandum ut habeam: nam aliquot hos sumam dies.

ANTIPHO.

Set Phormio est. Quid ais?

PHORMIO.

Quid?

ANTIPHO.

Quidnam nunc facturus Phaedria?
Quo pacto satietatem amoris ait se velle absumere?

PHORMIO.

Vicissim partes tuas acturus,....

ANTIPHO.

Quas?

PHORMIO.

Vti fugitet patrem;
Te suas rogavit rursum ut gereres, causam ut pro se diceres:
Nam potaturus est apud me; ego me ire senibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emtum, dudum quam dixit Geta,
Ne, cum hic non videant me, conficere credant argentum suum.
Set ostium concrepuit abs te.

ANTIPHO.

Vide, quis egreditur.

PHORMIO.

Geta.

GETA. ANTIPHO. PHORMIO.

GETA.

O Fortuna, o Fors Fortuna, quantis commoditatibus V. 6.
Quam desubito hero Antiphoni oppressum hunc onerastis diem,....

ANTIPHO.

Quidnam hic sibi volt?

GETA.

Nosque amicos eius exonerastis metu!
Set ego nunc mihi cesso, qui non humerum exonero pallio
Atque hominem propero invenire, ut, hic quae contigerint, sciat?

ANTIPHO.

Num tu intelligis, hic quid narret?

PHORMIO.
Num tu?
ANTIPHO.
Nil.
PHORMIO.
Tantundem ego.
GETA.
Ad lenonem hinc pergam: ibi nunc sunt.
ANTIPHO.
Heus, Geta!
GETA.
Hem tibi!
ANTIPHO.
Geta!
Num novom aut mirum est, revocari, cursum cum institeris? — Geta!
PHORMIO.
Pergit hercle.
GETA.
Nunquam tu odio vinces me hodie.
ANTIPHO.
Non manes?
GETA.
Vapula!
ANTIPHO.
Id quidem tibi iam fiet, nisi resistis, verbero!
GETA.
Familiariorem oportet esse hunc: minitatur malum.
Set isne est, quem quaero, annon? ipsus!
ANTIPHO.
Congredere actutum! Quid est?
GETA.
O omnium, quantum est, qui vivunt, homo hominum ornatissume!
Nam tu sine controversia ab dîs solus diligere, Antipho.

AN-

ANTIPHO.

Ita velim; set, qui istuc credam ita esse, mihi dici velim.

GETA.

Satin' est, si te delibutum gaudio reddo?

ANTIPHO.

Enicas.

PHORMIO.

Quin tu hinc pollicitationes aufer et, quod fers, cedo.

GETA.

Oh,
Tu quoque aderas, Phormio?

PHORMIO.

Aderam. Set tu cessas?

GETA.

Accipe, hem!
Vt modo argentum tibi dedimus ad forum, recta domum
Sumus profecti. Ibi me intro mittit herus ad uxorem tuam.

ANTIPHO.

Quamobrem?

GETA.

Omitte proloqui: nam nihil ad hanc rem est, Antipho.
In gynaeceum ubi ire occipio, puer ad me adcurrit Mida,
Pone apprendit pallio, resupinat; respicio, rogo,
Quamobrem retineat me; ait, esse vetitum intro ad heram accedere:
Sophrona modo fratrem huc, inquit, senis introduxit Chremem;
Eumque nunc esse intus cum illis. Hoc ubi ego audivi, ad fores
Placide, suspenso gradu, ire perrexi, accessi, adstiti,
Animam compressi, aurem admovi, ita animum coepi attendere.

PHORMIO.

Hoc modo sermones captas?

ANTIPHO.

Eu, Geta!

GETA.

Hic pulcherrumum

Facinus audivi, itaque pene hercle exclamavi gaudio.

ANTIPHO.

Quod?

GETA.

Quodnam arbitrare?

ANTIPHO.

Nescio.

GETA.

Atqui mirificissumum:

Patruus tuus est pater inventus Phanio uxori tuae.

ANTIPHO.

Hem,

Quid ais?

GETA.

Cum eius consuevit olim matre in Lemno clanculum.

PHORMIO.

Somnium! utn' haec ignoraret suum patrem?

GETA.

Aliquid credito,

Phormio, esse causae; set me censen' potuisse omnia

Intelligere extra ostium, intus quae ipsi inter sese egerint?

ANTIPHO.

Atque hercle ego quoque eam inaudivi fabulam.

GETA.

Imo etiam dabo,

Mage quo credas: patruus interea inde huc egreditur foras;

Post haut multo cum patre idem recipit se intro denuo;
Ait uterque, tibi potestatem eius habendi se dare;
Denique ego sum missus, te ut requirerem atque adducerem.

ANTIPHO.

Hem,
Quin ergo rape me, rape! quid cessas?

GETA.

Fecero.

ANTIPHO.

O mi Phormio,
Vale!

PHORMIO.

Vale, Antipho. — Bene, ita me di ament, factum! gaudeo,
Tantam fortunam de improviso esse his datam.
Summa eludendi occasio est mihi nunc senes;
Et Phaedriae curam adimere argentariam,
Ne cuiquam suorum aequalium supplex siet
(Nam item, hoc argentum mi ut datum est ingratiis,
Ei datum erit), hoc qui cogam, re ipsa ego repperi.
Nunc gestus mihi voltusque est capiundus novos.
Set hinc concedam in angiportum hunc proxumum;
Inde hisce ostendam me, ubi erunt egressi foras.
Quo me adsimularam, ad mercatum, ire, non eo.

DEMIPHO. PHORMIO. CHREMES.

DEMIPHO.

Dîs magnas merito gratias habeo atque ago, V. 7.
Quando evenere haec nobis, frater, prospere.
Quantum potest nunc conveniundus Phormio est,

Priusquam dilapidet nostras triginta minas,
Vt auferamus.

PHORMIO.

Demiphonem, si domi est,
Visam, ut, quod....

DEMIPHO.

At nos ad te ibamus, Phormio.

PHORMIO.

De eadem fortasse causa?

DEMIPHO.

Ita hercle.

PHORMIO.

Credidi.
Quid ad me ibatis? ridiculum! an veremini,
Ne non id faciam, quod semel receperim?
Heus, quanta quanta haec mea paupertas est, tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mi esset fides.
Estne, ita uti dixi, liberalis?

DEMIPHO.

Oppido.

PHORMIO.

Idque adeo venio nuntiatum, Demipho,
Paratum me esse. Vbi voltis, uxorem date:
Namque omnes mihi res posthabui, ita ut par fuit,
Postquam, tantopere vos id velle, advorteram.

DEMIPHO.

At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem:
Nam qui erit rumor populi, inquit, si id feceris?
Olim, cum honeste potuit, tum non est data;
Nunc viduam extrudi, turpe est; ferme eadem omnia,
Quae tute dudum coram me incusaveras.

PHORMIO.

Satis pol superbe inluditis me!

DEMIPHO.

Qui?

PHORMIO.

Rogas?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere:
Nam quo ore ad eam redibo, quam contemserim?

CHREMES.

Tum autem Antiphonem video ab sese amittere
Invitum eam, inque.

DEMIPHO.

Tum autem video filium
Invitum sane mulierem ab se amittere.
Set transi sodes ad forum atque illuc mihi
Argentum rursus iube rescribi, Phormio.

PHORMIO.

Quodne ego discripsi porro illis, quîs debui?

DEMIPHO.

Quid igitur fiet?

PHORMIO.

Si vis mi uxorem dare,
Quam despondisti, ducam; sin est, ut velis
Manere illam apud te, dos hic maneat, Demipho:
Nam non est aequom, me propter vos decipi,
Quom ego vostri honoris causa repudium alterae
Remiserim, quae dotis tantundem dabat.

DEMIPHO.

In' in malam rem hinc cum istac magnificentia,
Fugitive? etiamnum credis te ignorarier
Aut tua facta adeo?

PHORMIO.

Inritor?

DEMIPHO.

Tun' hanc duceres,
Si tibi data esset?

PHORMIO.

Fac periclum.

DEMIPHO.

Vt filius
Cum illa habitet apud te, hoc vostrum consilium fuit.

PHORMIO.
Quaeso, quid narras?
DEMIPHO.
Quin tu mi argentum cedo.
PHORMIO.
Imo tu vero uxorem!
DEMIPHO.
Ehem, in ius ambula.
PHORMIO.
Enimvero si porro odiosi esse pergitis, ...
DEMIPHO.
Quid facies?
PHORMIO.
Egone? vos me indotatis modo
Patrocinari fortasse arbitramini:
Dotatis etiam soleo.
CHREMES.
Quid id nostra?
PHORMIO.
Nihil.
Hic quandam noram, cuius vir uxorem ....
CHREMES.
Hem!
DEMIPHO.
Quid est?
PHORMIO.
Lemni habuit aliam, ...
CHREMES.
Nullus sum!
PHORMIO.
Ex qua filiam
Suscepit et eam clam educat.
CHREMES.
Sepultus sum!
PHORMIO.
Haec adeo ego illi iam denarrabo.
CHREMES.
Obsecro,

Ne facias!

PHORMIO.

Oh, tun' is eras?

DEMIPHO.

Vt ludos facit!

CHREMES.

Missum te facimus.

PHORMIO.

Fabulae!

CHREMES.

Quid vis tibi?
Argentum, quod habes, condonamus te.

PHORMIO.

Audio:
Quid vos, malum, ergo sic me ludificamini,
Inepti, vostra, ut pueruli, sententia?
Nolo, volo; volo, nolo rursum; cape, cedo;
Quod dictum, indictum est; modo quod erat ratum, inritum est.

CHREMES.

Quo pacto aut unde hic haec rescivit?

DEMIPHO.

Nescio;
Nisi, me dixisse nemini, id certo scio.

CHREMES.

Monstri, ita me di ament, simile.

PHORMIO.

Inieci scrupulum.

DEMIPHO.

Hem,
Hiccine ut a nobis tantum hoc argenti auferat,
Tam aperte inridens? emori hercle satius est.
Animo virili praesentique ut sis, para.
Vides, tuum peccatum esse elatum foras,
Neque iam celare id posse te uxorem tuam:
Nunc quod ea ex aliis auditura sit, Chreme,
Id nosmet indicare placabilius est.
Tum hunc impuratum poterimus nostro modo

Vlciscier.

PHORMIO.

Attat, nisi mihi prospicio, haereo:
Hi gladiatorio ad me animo adfectant viam.

CHREMES.

At vereor, ut placari possit.

DEMIPHO.

Bono animo es:
Ego redigam vos in gratiam, hoc fretus, Chreme,
Quom e medio excessit, unde haec suscepta est tibi.

PHORMIO.

Itane agitis mecum? satis astute adgredimini!
Non hercle ex re istius me instigasti, Demipho.
Ain' tu? ubi, quae fuerit lubitum, peregre feceris,
Neque huic sis veritus, feminae primariae,
Novo modo quin faceres contumeliam,
Venias nunc lautum precibus peccatum tuum?
Hisce illam ego dictis ita tibi incensam dabo,
Vt ne restinguas, lacrumis si exstillaveris.

DEMIPHO.

Tantane adfectum quenquam esse hominem audacia?
Non hoc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras?

CHREMES.

In id redactus sum loci,
Vt, quid agam ex illo, prorsus nesciam.

DEMIPHO.

Ego scio. —
In ius eas!

PHORMIO.

In ius? — Huc, huc, si quid lubet!

DEMIPHO.

Adsequere, retine, dum ego huc servos evoco!

CHREMES.

Enim solus nequeo: adcurre huc!

PHORMIO.

Vna iniuria est
Tecum, ...

DEMIPHO.

Agito lege ergo.

PHORMIO.

Altera est tecum, Chreme.

DEMIPHO.

Rape hunc!

PHORMIO.

Itan' agitis? voce enimvero est opus:
Nausistrata, exi!

CHREMES.

Os opprime!

DEMIPHO.

Impurum vide,
Quantum valet!

PHORMIO.

Nausistrata, inquam!

CHREMES.

Non taces?

PHORMIO.

Taceam?

DEMIPHO.

Ni sequitur, pugnos in ventrem ingere
Vel oculum exclude!

PHORMIO.

Est, ubi vos ulciscar probe!

NAVSISTRATA. CHREMES. PHORMIO. DEMIPHO.

NAVSISTRATA.

Quis nominat me?

CHREMES.

Hem!

NAVSISTRATA.

Quid istuc turbae est, obsecro, V. 8.
Mi vir?

PHORMIO.

Ehem, quid nunc obstipuisti?

NAVSISTRATA.

Qui hic homo est?
Non mihi respondes?

PHORMIO.

Hicne ut tibi respondeat,
Qui hercle, ubi sit, nescit?

CHREMES.

Cave isti quidquam creduas!

PHORMIO.

Abi! — Tange: si non totus friget, me enica.

CHREMES.

Nihil est.

NAVSISTRATA.

Quid ergo est, quod istic narrat?

PHORMIO.

Iam scies:
Ausculta.

CHREMES.

Pergin'? — Credes ei?

NAVSISTRATA.

Quid ego, obsecro,
Huic credam, qui nil dixit?

PHORMIO.

Delirat miser
Timore.

NAVSISTRATA.

Non pol temere est, quod tu tam times.

CHREMES.

Egon' timeo?

PHORMIO.

Recte sane! — Quando nil times
Et hoc nil est, ego quod dico, tu narra.

DEMIPHO.

Scelus,
Tibi narret?

PHORMIO.

Eho tu, factum est abs te sedulo
Pro fratre.

NAVSISTRATA.

Mi vir, non mihi dicis?

CHREMES.

At....

NAVSISTRATA.

Quid at?

CHREMES.

Non-opus est dicto.

PHORMIO.

Tibi quidem; at scito huic opus.
In Lemno....

CHREMES.

Hem, quid agis?

DEMIPHO.

Non taces?

PHORMIO.

Clam te....

CHREMES.

Hei mihi!

PHORMIO.

Vxorem duxit.

NAVSISTRATA.

Mi homo, di melius duint!

PHORMIO.

Sic factum est.

NAVSISTRATA.

Perii misera!

PHORMIO.

Et inde filiam
Suscepit etiam hanc, dum tu dormis.

CHREMES.

Quid agimus?

NAVSISTRATA.

Proh di immortales, miserum facinus et malum!

CHREMES.

Hoc actum est!

PHORMIO.

An quidquam hodie est factum indignius?
Quine, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes?

NAVSISTRATA.

Demipho, te adpello (nam me cum isto distaedet loqui):
Haec illae erant itiones crebrae et mansiones diutinae?
Haec erat ea, quae minuebat nostros fructus, vilitas?

DEMIPHO.

Ego, Nausistrata, esse in hac re culpam meritum, non nego,
Set, ea quin sit ignoscenda....

PHORMIO.

Verba fiunt mortuo.

DEMIPHO.

Nam neque negligentia neque odio is id fecit tuo:
Vinolentus fere abhinc annos quindecim mulierculam
Eam compressit, unde haec nata est, neque postilla unquam attigit.
Ea mortem obiit, e medio abiit, qui fuit in re hac scrupulus.
Quamobrem te oro, ut alia tua sunt facta, animo hoc aequo feras.

NAVSISTRATA.

Quid ego aequo animo? cupio misera in hac re iam defungier;
Set qui sperem? aetate porro minus peccaturum putem?
Tum iam erat senex, senectus si verecundos facit.
An mea forma atque aetas mage nunc expetunda est, Demipho?

Quid nunc mi adfers, quamobrem exspectem aut sperem, porro id non fore?

PHORMIO.

Exsequias Chremeti, quibus est commodum, ire hem tempus est!
Sic dabo: age nunc Phormionem, qui volet, lacessito!
Faxo eum tali mactatum atque hic est infortunio!
Redeat sane in gratiam: nam supplici satis est mihi,
Haec habet, ei quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat.

NAVSISTRATA.

At meo merito, credo! quid ego nunc commemorem, Demipho,
Singulatim, qualis in istunc fuerim?

DEMIPHO.

Novi aeque omnia
Tecum.

NAVSISTRATA.

Merito hoc meo videtur factum?

DEMIPHO.

Minume gentium;
Verum quando iam accusando fieri infectum non potest,
Ignosce: orat, confitetur, purgat; quid vis amplius?

PHORMIO.

Enimvero priusquam haec dat veniam, mihi prospiciam et Phaedriae.
Heus, priusquam, Nausistrata, huic respondes temere, audi.

NAVSISTRATA.

Quid est?

PHORMIO.

Ego minas triginta ab istis per fallaciam abstuli;
Eas dedi tuo gnato; is pro sua amica lenoni dedit.

CHREMES.

Hem, quid ais?

NAVSISTRATA.

Adeon' indignum hoc tibi videtur, filius,
Homo adolescens, unam amicam si habet, tu uxores duas?
Nil pudere? quo ore illum obiurgabis? responde mihi.

DEMIPHO.

Faciet, ut voles.

NAVSISTRATA.

Imo, ut iam meam scias sententiam,
Neque ego ignosco neque promitto quidquam neque respondeo,
Priusquam gnatum videro; eius iudicio permitto omnia; is
Quod iubebit, faciam.

PHORMIO.

Mulier sapiens es, Nausistrata.

NAVSISTRATA.

Satin' tibi est, Chreme?

CHREMES.

Imo vero pulchre discedo et probe
Et praeter spem.

NAVSISTRATA.

Tu tibi nomen dic quod est.

PHORMIO.

Mihi? Phormio,
Vostrae familiae hercle amicus et tuo summus Phaedriae.

NAVSISTRATA.

Phormio, at ego ecastor posthac tibi quod potero et quae voles
Faciamque et dicam.

PHORMIO.

Benigne dicis.

NAVSISTRATA.

Pol meritum est tuum.

PHORMIO.

Vin' primum hodie facere quod ego gaudeam, Nausistrata,
Et quod tuo viro oculi doleant?

NAVSISTRATA.

Cupio.

PHORMIO.

Me ad coenam voca.

NAVSISTRATA.

Pol voco vero.

DEMIPHO.

Eamus intro hinc.

CHREMES.

Fiat. set ubi est Phaedria,
Iudex noster?

PHORMIO.

Iam hic faxo aderit.

CANTOR.

Vos valete et plaudite.



HECYRA.

C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN HECYRAM.

Vxorem duxit Pamphilus Philumenam,
Cui quondam ignorans virgini vitium obtulit,
Cuiusque quem per vim detraxit anulum
Dederat amicae Bacchidi meretriculae,
Dein est profectus in Imbrum, nuptam haud attigit.
Hanc mater utero grauidam, ne id sciat socrus,
Vt aegram ad sese transfert. venit Pamphilus,
Deprendit partum, celat; uxorem tamen
Recipere non volt. pater incusat Bacchidis
Amorem. dum se purgat Bacchis, anulum
Mater vitiatae forte agnoscit Myrrhina:
Vxorem recipit Pamphilus cum filio.

P. TERENTI

HECYRA.

ACTA LVDIS MEGALENS. SEX. IVL. CAESARE CN. CORN. DOLABELLA AEDIL. CVR. NON EST PERACTA. MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI TIB. PARIB. TOTA GRAECA APOLLODORV. ACTA PRIMO SINE PROLOGO. DATA SECVNDO CN. OCTAVIO T. MANLIO COSS. L. AEMILI PAVLI LVDIS FVNERAL. NON EST PLACITA. TERTIO RELATA EST Q. FVLVIO L. MARCIO AEDIL. CVR. EGIT L. AMBIVIVS TVRPIO. PLACVIT.

DRAMATIS PERSONAE.

PHILOTIS.
SYRA.
PARMENO.
L'ACHES.
SOSTRATA.
PHIDIPPVS.
PAMPHILVS.
MYRRHINA.
SOSIA.
BACCHIS.

PROLOGVS.

Hecyra est huic nomen fabulae. Haec cum data est,
Novae novum intervenit vitium et calamitas,
Vt neque spectari neque cognosci potuerit:
Ita populus, studio obstupidus, in funambulo
Animum occuparat. Haec nunc plane est pro nova;
Etsi is, qui scripsit, hanc ob causam noluit
Iterum referre, ut iterum posset vendere.
Alias cognostis eius: quaeso, hanc noscite.

PROLOGVS ALTER.

Orator ad vos venio ornatu prologi;
Sinite exorator sim: eodem ut iure uti senem
Liceat quo iure sum usus adolescentior,
Novas qui exactas feci ut inveterascerent,
Nec cum poëta scriptura evanesceret.
In his quas primum Caecili didici novas,
Partim sum earum exactus, partim vix steti.
Quia dubiam scibam fortunam esse scenicam,
Spe incerta certum mihi laborem sustuli:
Easdem agere coepi, ab eodem ut alias discerem
Novas, nec studiosum illum ab studio abducerem.
Perfeci ut spectarentur; ubi sunt cognitae,

Placitae sunt; ita poëtam restitui in locum,
Prope iam remotum iniuria adversariûm.
Quodsi scriptorem sprevissem in praesentia et
In deterrendo voluissem operam sumere,
Vt in otio esset potius quam in negotio,
Deterruissem facile ne alias scriberet.
Nunc, quid petam, mea causa, animo aequo attendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium
Nunquam agere licitum est: ita eam oppressit calamitas.
Eam calamitatem vostra intelligentia
Sedabit, si erit adiutrix nostrae industriae.
Quom primum eam agere coepi, pugilum gloriae
Funambuli etiam accessit exspectatio;
Hominum conventus, strepitus, clamor mulierum
Fecere ut ante tempus exirem foras.
Vetere in nova coepi uti consuetudine,
In experiundo ut essem: refero denuo;
Primo actu placeo, cum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores: populus convolat,
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco;
Ego interea meum non potui tutari locum.
Nunc turba non est, otium et silentium est,
Agendi tempus mihi datum est, vobis datur
Potestas condecorandi ludos scenicos:
Nolite sinere per vos, artem musicam
Recidere ad paucos! facite, ut vostra auctoritas
Meae auctoritati fautrix adiutrixque sit!
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum et se in vostram commisit fidem,
Ne eum circumventum inique iniqui inrideant.
Mea causa causam accipite et date silentium,
Vt lubeat scribere alias, mihique ut discere
Novas expediat posthac, pretio emtas meo.

PHILOTIS. SYRA.

PHILOTIS.

Per pol quam paucis reperias meretricibus I. 1.
Fideles evenisse amatores, Syra!
Vel hic Pamphilus iurabat quotiens Bacchidi
Quam sancte, ut quivis facile posset credere,
Nunquam illa viva uxorem ducturum domum:
Hem duxit!

SYRA.

Ergo propterea te sedulo
Et moneo et hortor, te ne cuiusquam misereat,
Quin spolies, mutiles, laceres, quemquem nacta sis.

PHILOTIS.

Vtin' eximium neminem habeam?

SYRA.

Neminem:
Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret sese, abs te ut blanditiis suis
Quam minumo pretio suam voluptatem expleat.
Hiscine tu, amabo, non contra insidiabere?

PHILOTIS.

Tamen pol eandem iniurium est esse omnibus.

SYRA.

Iniurium autem est ulcisci adversarios,
Aut, qua via captent te, eadem ipsos capi?
Eheu me miseram, cur non aut istaec mihi
Aetas et forma est, aut tibi haec sententia?

PARMENO. PHILOTIS. SYRA.

PARMENO.

Senex si quaeret me, modo isse dicito I. 2.
Ad portum percontatum adventum Pamphili.
Audin', quid dicam, Scirte? si quaeret me, uti

Tum dicas; si non quaeret, nullus dixeris,
Alias ut uti possim causa hac integra.
Set videon' ego Philotium? unde haec advenit? —
Philotis, salve multum.

PHILOTIS.

O salve, Parmeno.

SYRA.

Salve mecastor, Parmeno.

PARMENO.

Et tu edepol, Syra.
Dic mihi, Philotis, ubi te oblectasti diu?

PHILOTIS.

Minume quidem me oblectavi, quae cum milite
Corinthum hinc sum profecta inhumanissumo.
Biennium ibi perpetuum misera illum tuli!

PARMENO.

Edepol te desiderium Athenarum arbitror,
Philotium, cepisse saepe et te tuum
Consilium contemsisse.

PHILOTIS.

Dici non potest,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite
Vosque hic videndi, antiqua ut consuetudine
Agitarem inter vos libere convivium:
Nam illi haud licebat nisi praefinito loqui,
Quae illi placerent.

PARMENO.

Haud opinor commode
Finem statuisse orationi militem.

PHILOTIS.

Set quid hoc negoti est, modo quae narravit mihi
Hic intus Bacchis, quod ego nunquam credidi
Fore, ut ille hac viva posset animum inducere,
Vxorem habere?

PARMENO.

Habere autem?

PHILOTIS.

Eho tu, annon habet?

PARMENO.

Habet; set firmae vereor ut sint nuptiae.

PHILOTIS.

Ita di deaeque faxint, si in rem est Bacchidis.
Set qui istuc credam ita esse, dic mihi, Parmeno.

PARMENO.

Non est opus prolato: hoc percontarier
Desiste.

PHILOTIS.

Nempe ea causa, ut ne id fiat palam?
Ita me di amabunt, haud propterea te rogo,
Vt proferam, set, tacita mecum ut gaudeam.

PARMENO.

Nunquam tam dices commode, ut tergum meum
Tuam in fidem committam.

PHILOTIS.

Ah novi, Parmeno:
Quasi tu non multo malis narrare hoc mihi
Quam ego, quae percontor, scire.

PARMENO.

Vera haec praedicat,
Et illuc mihi vitium est maxumum. — Fidem mihi
Si das, tacituram, dicam.

PHILOTIS.

Ad ingenium redis.
Fidem do: loquere.

PARMENO.

Ausculta.

PHILOTIS.

Istic sum.

PARMENO.

Hanc Bacchidem
Amabat ut cum maxume tum Pamphilus,
Cum pater, uxorem ut ducat, orare occipit,
Et haec, communia omnium quae sunt patrum,
Senem sese esse, dicere, illum autem unicum;
Praesidium velle se senectuti suae.
Ille primo se negare; set postquam acrius

Pater instat, fecit, animi ut incertus foret,
Pudorin' anne amori obsequeretur magis.
Tundendo atque odio denique effecit senex;
Despondit gnatam ei huius vicini proxumi.
Vsque illud visum est Pamphilo ne utiquam grave,
Donec iam in ipsis nuptiis, postquam videt
Paratas nec moram ullam, quin ducat, dari,
Ibi demum ita aegre tulit, ut ipsam Bacchidem,
Si adesset, credo, ibi, eius commiseresceret.
Vbicumque datum erat spatium solitudinis,
Vt conloqui mecum una posset: Parmeno,
Perii! quid egi? in quod me conieci malum?
Non potero ferre hoc, Parmeno! perii miser!

PHILOTIS.

At te di deaeque perdant cum isto odio, Laches!

PARMENO.

Ad pauca ut redeam, uxorem deducit domum;
Nocte illa prima virginem non attigit;
Quae consecuta est nox eam, nihilo magis.

PHILOTIS.

Quid ais? cum virgine una adolescens cubuerit
Plus potus et illac abstinere ut potuerit?
Non verisimile dicis nec verum arbitror.

PARMENO.

Credo, ita videri tibi: nam nemo ad te venit
Nisi cupiens tui, ille invitus illam duxerat.

PHILOTIS.

Quid deinde fit?

PARMENO.

Diebus sane pauculis
Post Pamphilus me solum seducit foras
Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet,
Seque ante quam eam uxorem duxisset domum
Sperasse, eas tolerare posse nuptias:
Set, quam decrerim me non posse diutius
Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
Quin integram itidem reddam, ut accepi, suis,
Neque honestum mihi neque utile ipsi virgini est.

PHILOTIS.

Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.

PARMENO.

Hoc ego proferre, incommodum mi esse arbitror;
Reddi autem patri, cui tu nil dicas viti,
Superbum est; set illam spero, ubi cognoverit,
Non posse se mecum esse, abituram denique.

PHILOTIS.

Quid? interea ibatne ad Bacchidem?

PARMENO.

Quotidie.
Haec, ita uti liberali atque ingenuae decet,
Pudens, modesta, incommoda atque iniurias
Viri omnes ferre et tegere contumelias.
Set, ut fit, postquam illa alienum hunc ab se videt,
Maligna multum et mage procax facta illico est.

PHILOTIS.

Non edepol mirum.

PARMENO.

Atqui ea res multo maxume
Disiunxit illum ab illa. Postquam et ipse se
Et illam et hanc, quae domi erat, cognovit satis,
Ambarum ad exemplum earum mores aestumans:
Hic animus, partim uxoris misericordia
Devinctus, partim victus huius iniuria,
Paulatim elapsust Bacchidi, atque huc transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est.
Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horunc; ea ad nos rediit lege hereditas:
Eo amantem extrudit Pamphilum invitum pater.
Reliquit hic cum matre uxorem: nam senex
Rus abdidit se, huc raro in urbem commeat.

PHILOTIS.

Quid adhuc habent infirmitatis nuptiae?

PARMENO.

Nunc audies. Primo hos dies complusculos
Bene convenibat sane inter eas; interim haec
Miris modis odisse coepit Sostratam,

Neque lites ullae interea, postulatio
Nunquam.

PHILOTIS.

Quid igitur?

PARMENO.

Si quando ad eam accesserat
Confabulatum, fugere e conspectu illico,
Videre nolle; denique, ubi non quit pati,
Simulat, se ad matrem arcessi ad rem divinam, abit.
Vbi illi est dies complures, arcessi haec iubet;
Dixere causam tunc nescio quam. Iterum iubet;
Nemo remisit. Postquam arcessit saepius,
Aegram esse simulant mulierem: nostra illico
It visere ad eam; admisit nemo. Hoc ubi senex
Rescivit, heri ea causa rure huc advenit;
Patrem continuo convenit Philumenae.
Quid egerint inter se, nondum etiam scio;
Nisi sane curae est, quorsum eventurum hoc siet.
Habes omnem rem: pergam, quo coepi hoc iter.

PHILOTIS.

Et quidem ego: nam constitui cum quodam hospite,
Me esse illum conventuram.

PARMENO.

Di vortant bene,
Quod agas.

PHILOTIS.

Vale.

PARMENO.

Et tu bene vale, Philotium.

LACHES. SOSTRATA.

LACHES.

Proh deûm fidem, quod genus hoc est? Ecquae haec est coniuratio, II. 1.
Vt omnes mulieres eadem aeque studeant nolintque omnia,
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
Viris advorsari aeque studium est, similis pertinacia est;
Itidemque adeo unanimo omnes animo socrus oderunt nurus.
In eodem mihi videntur omnes ludo doctae ad malitiam;
Ei ludo si ulla sit magistra, hanc esse, satis certo scio.

SOSTRATA.

Me miseram, quae nunc, quamobrem accuser, nescio.

LACHES.

Hem, tu nescias?

SOSTRATA.

Ita me di bene ament, mi Laches,
Itaque una inter nos agere aetatem liceat;....

LACHES.

Di mala prohibeant!

SOSTRATA.

Meque abs te immerito esse accusatam, postmodo rescisces, scio.

LACHES.

Te immerito? an quidquam pro istis factis dignum te dici potest?
Quae me, te, familiam, dedecoras, filio luctum paras,
Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis adfines, facis,

Qui illunc decrerunt dignum, suos cui liberos committerent?
Tu sola exorere, quae perturbes haec tua impudentia!

SOSTRATA.

Egon'?

LACHES.

Tu, inquam, mulier, quae me omnino lapidem, non hominem, putas.
An, ruri quia esse crebro soleo, nescire arbitramini,
Quo quisque pacto hic vitam vostrorum exigat?
Multo melius, hic quae fiunt, quam illi, ubi sum adsidue, scio,
Adeoque, ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris.
Iampridem equidem audivi, cepisse odium tui Philumenam,
Minumeque adeo mirum et, ni id fecisset, mage mirum foret;
Set non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum;
Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.
At vide, quam immerito aegritudo haec oritur mihi abs te, Sostrata:
Rus habitatum abii, concedens vobis et re serviens,
Sumtus vostros otiumque ut nostra res posset pati,
Meo labori haud parcens praeter aequom atque aetatem meam:
Non te pro his curasse rebus, ne quid aegre esset mihi?

SOSTRATA.

Non mea opera neque pol culpa evenit.

LACHES.

Imo maxume:
Sola hic fuisti: in te omnis haeret culpa sola, Sostrata;

Quae hic erant, curares, cum ego vos solvi curis ceteris.
Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?
Illius dices culpa factum?

SOSTRATA.

Haut equidem dico, mi Laches.

LACHES.

Gaudeo, ita me di ament, gnati causa: nam de te quidem,
Sat scio, peccando fieri detrimenti nil potest.

SOSTRATA.

Qui scis, an ea causa, mi vir, me odisse adsimulaverit,
Vt cum matre plus una esset?

LACHES.

Quid ais? non signi hoc sat est,
Quod heri nemo voluit visentem ad eam te intro admittere?

SOSTRATA.

Lassam enim oppido tum esse aibant; eo non ad eam admissa sum.

LACHES.

Tuos ei mores esse ad morbum mage quam ullam aliam rem arbitror,
Et merito adeo: nam vostrarum nulla est quin gnatum velit
Ducere uxorem et, quae vobis placita est conditio, dari:
Vbi duxere impulsu vostro, vostro impulsu easdem exigunt.

PHIDIPPVS. LACHES. SOSTRATA.

PHIDIPPVS.

Etsi scio ego, Philumena, esse ius meum, ut te cogam,

Quae ego imperem, facere, ego tamen, patrio animo victus, faciam,
Vt tibi concedam, neque tuae lubidini advorsabor.

LACHES.

Atque eccum Phidippum optume video: hinc iam scibo, quid sit.
Phidippe, etsi ego meis me omnibus scio esse adprime obsequentem,
Set non adeo, ut mea facilitas corrumpat illorum animos.
Quod tu si idem faceres, mage in rem vostram et nostram id esset;
Nunc video in illarum esse te potestate.

PHIDIPPVS.

Heia vero!

LACHES.

Adii te heri de filia; ut veni, itidem incertum amisti.
Haud ita decet, si perpetem hanc vis esse adfinitatem,
Celare te iras. Si quid est peccatum a nobis, profer:
Aut ea refellendo aut purgando vobis corrigemus,
Te iudice ipso; sin ea est retinendi causa apud vos,
Quia aegra est, te mi iniuriam facere arbitror, Phidippe,
Si metuis, satis ut meae domi curetur diligenter:
At, ita me di ament, haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,
Vt tu illam salvam mage velis; id adeo gnati causa,
Quem ego intellexi illam haud minus quam se ipsum magnificare;
Neque adeo clamem, nisi quia eum graviter laturum credam,
Hoc si rescierit; eo domum studeo hanc, priusquam ille, ut redeat.

PHI-

PHIDIPPVS.

Laches, et diligentiam vostram et benignitatem
Novi et, quae dicis, omnia esse, ut dicis, animum induco;
Ac te mi hoc cupio credere: illam ad vos redire studeo,
Si facere possim ullo modo.

LACHES.

Quae res te id facere prohibet?
Eho, numquidnam accusat virum?

PHIDIPPVS.

Minume: nam postquam attendi
Magis et vi coepi cogere, ut rediret, sancte adiurat,
Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.
Aliud fortasse alii viti est; ego sum animo leni natus:
Non possum advorsari meis.

LACHES.

Hem, Sostrata!

SOSTRATA.

Heu me miseram!

LACHES.

Certumne est istuc?

PHIDIPPVS.

Nunc quidem ita videtur. Set numquid vis?
Nam est quod me transire ad forum iam oportet.

LACHES.

Eo tecum una.

SOSTRATA.

Edepol nae nos sumus inique aeque omnes invisae viris
Propter paucas, quae omnes faciunt dignae ut videamur malo:
Nam, ita me di ament, quod me accusat vir nunc, sum extra noxiam;

Set non facile est expurgatu: ita animum induxerunt, socrus
Omnes esse iniquas; haut pro me quidem: nam nunquam secus
Habui illam ac si ex me sit nata, nec, qui hoc mi eveniat, scio;
Nisi pol filium multimodis iam expeto, ut redeat domum.

PAMPHILVS. PARMENO. MYRRHINA.

PAMPHILVS.

Nemini acerba ego plura credo esse ex amore homini unquam oblata III. 1.
Quam mihi! heu me infelicem! hancne ego vitam parsi perdere?
Hacne ego causa eram tantopere cupidus redeundi domum,
Cui quanto fuerat praestabilius, ubivis agere gentium
Aetatem, quam huc redire miserum atque, haec esse ita, resciscere?
Nam omnibus nobis, quibus est alicunde aliquis obiectus labos,
Omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum, lucro est.

PARMENO.

At sic citius, qui te expedias his aerumnis, reperias.
Si non rediisses, haec irae factae essent multo ampliores;
Set nunc adventum tuum ambas, Pamphile, scio reverituras;
Rem cognosces, iram expedies, rursum in gratiam restitues.

Levia sunt, quae pergravia esse in animum tu induxti tuum.

PAMPHILVS.

Quid consolare me? an quisquam usquam gentium est aeque miser?
Priusquam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum;
Iam in hac re, ut taceam, cuivis facile scitu est quam fuerim miser.
Tamen nunquam ausus sum recusare eam, quam mi obtrudit pater.
Vix me illinc abstraxi impeditumque expedivi animum meum
Vixque huc contuleram: hem, nova res orta est, porro ab hac quae me abstrahat:
Tam matrem ex ea re me aut uxorem in culpa inventurum arbitror;
Quod ita cum invenero, quid restat, nisi, porro ut fiam miser?
Nam matris ferre iniurias me, Parmeno, pietas iubet;
Tum uxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio perculit,
Tot meas quae nunquam iniurias in ullo patefecit loco.
Set magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno,
Vnde ira inter eas intercessit, quae tam permansit diu.

PARMENO.

At quidem, here (pravom si vis verbum veram ad rationem exigi),
Non maxumae, quae maxumae sunt interdum irae, iniuriae
Faciunt: nam saepe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,
Cum de eadem causa est iracundus factus inimicissimus.

Pueri pro levibus noxiis inter se quas iras gerunt
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt:
Itidem illae mulieres sunt, ferme ut pueri, leve sententia;
Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc concitaverit.

PAMPHILVS.

Abi, Parmeno, intro ac, me venisse, nuntia.

PARMENO.

Hem, quid hoc?

PAMPHILVS.

Tace.

PARMENO.

Trepidari sentio, cursari rursum prorsum.

PAMPHILVS.

Agedum, ad fores
Accedo propius.

PARMENO.

Hem, sensistin'?

PAMPHILVS.

Noli fabularier. —
Proh Iupiter, clamorem audivi!

PARMENO.

Tute loqueris, me vetas.

MYRRHINA.

Tace, obsecro, mea gnata!

PAMPHILVS.

Matris vox ea est Philumenae.
Nullus sum!

PARMENO.

Qui dum?

PAMPHILVS.

Perii!

PARMENO.

Quamobrem?

PAMPHILVS.

Nescio quod magnum malum

Profecto, Parmeno, me celant.

PARMENO.

Vxorem enim Philumenam
Pavitare nescio quid dixerunt; id si forte est, nescio.

PAMPHILVS.

Interii! cur id mihi non dixti?

PARMENO.

Quia non poteram una omnia.

PAMPHILVS.

Quid morbi est?

PARMENO.

Nescio.

PAMPHILVS.

Quid? nemon' medicum adduxit?

PARMENO.

Nescio.

PAMPHILVS.

Cesso hinc ire intro, ut hoc quamprimum, quidquid est, certo sciam?
Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam adfectam?
Nam si periclum ullum in te inest, perisse me una haud dubium est!

PARMENO.

Non usus facto nunc est mi, hunc intro sequi:
Nam invisos omnes nos esse illis sentio:
Heri ipsam nemo voluit intro admittere;
Si forte morbus amplior factus siet,
Quod sane nolim, maxume causa mei,
Servom illico introiisse dicant Sostratae,
Aliquid tulisse comminiscantur mali
Capiti atque aetati illorum, morbus qui auctus sit:
Hera in crimen veniat, ego vero in magnum malum.

SOSTRATA. PARMENO.

SOSTRATA.

Nescio quid iamdudum audio hic tumultuari misera: III. 2.
Male metuo, ne Philumenae mage morbus adgravescat;
Quod te, Aesculapi, et te, Salus, ne quid sit huius, oro.
Nunc ad eam visam.

PARMENO.

Heus, Sostrata!

SOSTRATA.

Hem!

PARMENO.

Iterum istinc excludere.

SOSTRATA.

Ehem, Parmeno, tun' hic eras? perii! quid faciam misera?
Non visam uxorem Pamphili, cum in proxumo hic sit aegra?

PARMENO.

Non vises; ne mittes quidem visundi causa quenquam:
Nam, qui amat, cui odio ipsus est, bis stulte facere duco:
Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam adfert.
Tum filius tuus introiit, quid agat, videre, ut venit.

SOSTRATA.

Quid ais? an venit Pamphilus?

PARMENO.

Venit.

SOSTRATA.

Dis gratiam habeo!
Hem, istoc mihi verbo rediit animus, cura ex corde excessit.

PARMENO.

Iam te ea de causa maxume nunc huc introire nolo:
Nam si remittent quidpiam Philumenam dolores,
Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli,
Quae inter vos intervenerint, unde ortum est initium irae.
Atque eccum video ipsum egredi. Quam tristis!

PAMPHILVS. SOSTRATA. PARMENO.

SOSTRATA.

O mi gnate! III. 3.

PAMPHILVS.

Mea mater, salve.

SOSTRATA.

Gaudeo venisse salvom! salvan' Philumena est?

PAMPHILVS.

Meliuscula est.

SOSTRATA.

Vtinam istuc ita di faxint!
Quid tu igitur lacrumas aut quid es tam tristis?

PAMPHILVS.

Recte, mater.

SOSTRATA.

Quid fuit tumulti? dic mihi. An dolor repente invasit?

PAMPHILVS.

Ita factum est.

SOSTRATA.

Quid morbi est?

PAMPHILVS.

Febris.

SOSTRATA.

Quotidiana?

PAMPHILVS.

Ita aiunt.
I sodes intro; consequar iam te, mea mater.

SOSTRATA.

Fiat.

PAMPHILVS.

Tu pueris curre, Parmeno, obviam atque eis onera adiuta.

PARMENO.

Quid? non sciunt ipsi viam domum qua?

PAMPHILVS.

Cessas?

PARMENO.

Minume.

PAMPHILVS.

Nequeo mearum rerum ullum initium invenire idoneum,
Vnde exordiar narrare, quae nec opinanti accidunt,
Partim quae perspexi his oculis, partim quae accepi auribus,
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
Nam modo intro ut me conripui timidus, alio suspicans
Morbo me visurum adfectam ac sensi esse uxorem, hei mihi!
Postquam me adspexere ancillae advenisse, omnes illico
Laetae exclamant: venit! id quod derepente adspexerant;
Set continuo voltum earum sensi immutari omnium:
Quia tam incommode fors illis adventum obtulerat meum.
Vna forte interea propere praecucurrit, nuntiat,
Me venisse; ego, huius videndi cupidus, recta consequor.

Posteaquam intro adveni, extemplo eius morbum cognovi miser:
Nam neque, ut celari posset, tempus spatium ullum dabat,
Neque voce alia ac res monebat ipsa poterat conqueri.
Postquam adspexi: O indignum facinus, inquam et conripui illico
Me inde lacrumans, incredibili re atque atroci percitus.
Mater consequitur; iam ut limen exirem, ad genua accidit,
Lacrumans, misera: miseritum est. Profecto hoc sic est, ut puto:
Omnibus nobis res ut dant se, ita magnique et humiles sumus.
Hanc habere orationem mecum principio institit:
O mi Pamphile, abs te quamobrem haec abierit, causam vides:
Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo improbo:
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret suum
(Set, cum orata eius reminiscor, nequeo quin lacrumem miser),
Quaeque fors fortuna est, inquit, nobis quae hodie te obtulit,
Per eam te obsecramus ambae, si vis, si fas est, uti
Advorsa eius per te tecta tacitaque apud omnes sient!
Si unquam erga te amico esse animo sensisti eam, mi Pamphile,
Sine labore hanc gratiam te ut sibi des pro illa nunc rogat.
Ceterum de redducendo id facias quod in rem sit tuam:

Parturire eam neque gravidam esse ex te, solus conscius:
Nam aiunt, tecum post duobus concubuisse mensibus;
Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic iam septimus;
Quod te scire, ipsa indicat res: nunc, si potis est, Pamphile,
Maxume volo doque operam, ut clam veniat partus patrem
Atque adeo omnes; id si fieri non potest quin sentiant,
Dicam, abortum; nemini fore aliter suspectum scio
Quin, quod verisimile est, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur: hic tibi nihil est quidquam incommodi et
Illi miserae indigne factam iniuriam contexeris.
Sum pollicitus et servare certum est, quoad dixi, fidem:
Nam de redducendo, id vero ne utiquam honestum esse arbitror
Nec faciam, etsi amor me graviter consuetudoque eius tenet.
Lacrumo, quae posthac futura est vita cum in mentem venit
Solitudoque. O fortuna, ut nunquam perpetua es data!
Set iam amor me prior ad hanc rem exercitatum reddidit;
Quem ego cum consilio missum feci, item hunc operam dabo. —
Adest cum pueris Parmeno. Hunc minume est opus
In hac re adesse: nam olim soli credidi,
Ea me abstinuisse in principio, cum data est:
Vereor, si clamorem eius hic crebrum exaudiat,

Ne parturire intelligat: aliquo mihi est
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

PARMENO. SOSIA. PAMPHILVS.

PARMENO.

Ain' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter? III. 4.

SOSIA.

Non hercle verbis, Parmeno, dici potest
Tantum quam re ipsa navigare incommodum est.

PARMENO.

Itane est?

SOSIA.

O fortunate, nescis, quid mali
Praeterieris, qui nunquam es ingressus mare!
Nam alias ut mittam miserias, unam hanc vide:
Dies triginta aut plus eo in navi fui,
Quom interea semper mortem exspectabam miser:
Ita usque advorsa tempestate usi sumus.

PARMENO.

Odiosum!

SOSIA.

Haut clam me est. Denique hercle aufugerim
Potius quam redeam, si eo mihi redeundum sciam.

PARMENO.

Olim quidem te causae impellebant leves,
Quod nunc minitare facere, ut faceres, Sosia.
Set Pamphilum ipsum video stare ante ostium:
Ite intro; ego hunc adibo, si quid me velit. —
Here, etiam tu hic stas?

PAMPHILVS.

Te quidem exspecto.

PARMENO.

Quid est?

PAMPHILVS.

In arcem transcurso opus est....

PARMENO.

Cui homini?

PAMPHILVS.

Tibi.

PARMENO.

In arcem? quid eo?

PAMPHILVS.

Callidemidem hospitem,
Qui est una vectus, convenito Myconium.

PARMENO.

Perii! vovisse hunc dicam, si salvos domum
Redisset unquam, ut me ambulando rumperet!

PAMPHILVS.

Quid cessas?

PARMENO.

Quid vis dicam? an conveniam modo?

PAMPHILVS.

Imo, quod constitui, hodie conventurum eum,
Non posse, ne me frustra illi exspectet, volo.

PARMENO.

At non novi hominis faciem.

PAMPHILVS.

At faciam ut noveris:
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius,
Cadaverosa facie.

PARMENO.

Di illum perduint!
Quid, si non venit? maneamne usque ad vesperum?

PAMPHILVS.

Maneto! curre!

PARMENO.

Non queo: ita defessus sum. —

PAMPHILVS.

Ille abiit. Quid ago infelix? prorsus nescio,
Quo pacto hoc celem quod me oravit Myrrhina,
Suae gnatae partum: nam me miseret mulieris.
Quod potero faciam, tamen ut pietatem colam:

Nam me parenti potius quam amori obsequi
Oportet. — Attat! eccum Phidippum et patrem
Video; horsum pergunt. Quid dicam hisce, incertus sum.

LACHES. PHIDIPPVS. PAMPHILVS.

LACHES.
Dixtin' dudum, illanc dixisse, se expectare filium? III. 5.

PHIDIPPVS.
Factum.

LACHES.
Venisse aiunt: redeat.

PAMPHILVS.
Causae quid dicam patri,
Quamobrem non reducam, nescio.

LACHES.
Quem ego hic audivi loqui?

PAMPHILVS.
Certum offirmare est viam me quam decrevi persequi.

LACHES.
Ipsus est, de quo hoc agebam tecum.

PAMPHILVS.
Salve, mi pater.

LACHES.
Gnate mi, salve.

PHIDIPPVS.
Bene factum, te advenisse, Pamphile,
Et adeo, quod maxumum est, et salvom et validum.

PAMPHILVS.
Creditur.

LACHES.
Advenis modo?

PAMPHILVS.

Admodum.

LACHES.

Cedo, quid reliquit Phania,
Consobrinus noster?

PAMPHILVS.

Sane hercle homo voluptati obsequens
Fuit, dum vixit; et qui sic sunt, haut multum heredes iuvant,
Sibi vero laudem relinquunt: vixit, dum vixit, bene.

LACHES.

Tum tu igitur nihil attulisti plus una hac sententia?

PAMPHILVS.

Quidquid est id quod reliquit, profuit.

LACHES.

Imo obfuit:
Nam illum vivom et salvom vellem.

PHIDIPPVS.

Impune optare istuc licet:
Ille reviviscet iam nunquam; et tamen, utrum malis, scio.

LACHES.

Here Philumenam ad se arcessi hic iussit. — Dic iussisse te.

PHIDIPPVS.

Noli fodere. — Iussi.

LACHES.

Set eam iam remittet.

PHIDIPPVS.

Scilicet.

PAMPHILVS.

Omnem rem scio, ut sit gesta: adveniens audivi modo.

LACHES.

At
Invidos istos di perdant, qui haec lubenter nuntiant!

PAMPHILVS.

Ego me scio cavisse, ne ulla merito contumelia
Fieri a vobis posset; idque si nunc memorare hic velim,
Quam fideli animo et benigno in illam et clementi fui,
Vere possim, nisi te ex ipsa mage velim rescire:
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Cum illa, quae in me iniqua nunc est, aequa de me dixerit;
Neque mea culpa hoc discidium evenisse, id testor deos:
Sed quandoquidem illa indignam esse deputat matrem meam,
Cui concedat cuiusque mores toleret sua modestia,
Neque alio componi pacto potis inter eas gratia:
Segreganda aut mater a me est, Phidippe, aut Philumena;
Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.

LACHES.

Pamphile, haud invito ad aures sermo mi accessit tuus,
Cum res postputasse te omnes prae parente intelligo:
Verum vide, ne, impulsus ira, prave insistas, Pamphile!

PAMPHILVS.

Quibus iris nunc iniquis impulsus siem,
Quam nunquam erga me quidquam commeritam, pater,
Quod nollem, saepe meritam, quod vellem, scio et
Amo vehementer laudoque ac desidero?
Nam, fuisse erga me miro ingenio, expertus sum,
Illique exopto, ut reliquam vitam exigat
Eo cum viro, me qui sit fortunatior:

Quandoquidem illam a me distrahit necessitas.

PHIDIPPVS.

Tibi id in manu est, ne fiat.

LACHES.

Si sanus sies,
Iube redire.

PAMPHILVS.

Non est consilium, pater:
Matris servibo commodis.

LACHES.

Quo abis? mane.
Mane, inquam! quo abis?

PHIDIPPVS.

Quae haec est pertinacia?

LACHES.

Dixin', Phidippe, hanc rem aegre laturum esse eum?
Quamobrem te orabam, filiam ut remitteres.

PHIDIPPVS.

Non credidi edepol adeo inhumanum fore.
Itan' is nunc sibi me supplicaturum putat?
Si est ut velit reducere uxorem, licet;
Sin alio est animo, renumeret dotem huc, eat!

LACHES.

Ecce autem, tu quoque proterve iracundus es.

PHIDIPPVS.

Percontumax redisti nobis, Pamphile!

LACHES.

Decedet ira haec, etsi merito iratus est.

PHIDIPPVS

Quia paulum vobis accidit pecuniae,
Sublati animi sunt.

LACHES.

Etiam mecum litigas?

PHIDIPPVS.

Deliberet, renuntietque hodie mihi,
Velitne, annon, ut alii, si non huic, siet.

LACHES.

Phidippe, adesdum: paucis ... Abiit! — Quid mea?
Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet:
Quando nec gnatus neque hic mihi quidquam obtemperant,
Quae dico, parvi pendunt. porto hoc iurgium ad
Vxorem, cuius haec fiunt consilio omnia,
Atque in eam hoc omne, mihi quod aegre est, evomam.

MYRRHINA. PHIDIPPVS.

MYRRHINA.

Perii! quid agam? quo me vortam? quid viro meo respondebo IV. 1.
Misera? nam audivisse vocem pueri visus vagientis:
Ita conripuit derepente tacitus sese ad filiam;
Quodsi rescierit peperisse, id qua me causa clam habuisse
Dicam, non edepol scio.
Set ostium concrepuit; credo ipsum ad me exire. — Nulla sum!

PHIDIPPVS.

Vxor, ubi me ad filiam ire sensit, se eduxit foras. At-
que eccam video. — Quid ais, Myrrhina? — heus, tibi dico!

MYRRHINA.

Mihine, mi vir?

PHIDIPPVS.

Vir ego tuus sum? tu virum me aut hominem deputas adeo esse?
Nam si utrumvis horum, mulier, unquam tibi visus forem,
Non sic ludibrio tuis factis habitus essem.

MYRRHINA.

Quibus?

PHIDIPPVS.

At rogitas?
Peperit filia? — Hem, tacen'? — Ex quo?

MYRRHINA.

Patrem istuc rogitare, est aequom?
Perii, ex quo nisi illo censes, cui data est nuptum, obsecro?

PHIDIPPVS.

Credo, neque adeo arbitrari patris est aliter, set demiror
Quid sit, quamobrem tantopere omnes nos celari volueris
Partum, cum praesertim et recte et tempori suo pepererit.
Adeon' pervicaci esse animo, ut puerum praeoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires,
Potius quam advorsum animi tui lubidinem esset cum illo nupta?
Ego quoque illorum esse hanc culpam credidi, quae te penes.

MYRRHINA.

Misera sum!

PHIDIPPVS.

Vtinam sciam, ita esse istuc! set nunc in mentem venit,
De hac re quod locuta es olim, cum illum generum cepimus:
Nam negabas, nuptam posse filiam te tuam pati
Cum eo qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris.

MYRRHINA.

Quamvis causam hunc suspicari quam ipsam veram mavolo.

PHIDIPPVS.

Multo prius quam tu illum scivi amicam habere, Myrrhina;
Verum id nunquam vitium decrevi esse ego adolescentiae:
Nam omnibus innatum; at pol iam id erit sat quoque etiam cum oderit.
Set ut olim te ostendisti, eandem nil cessavisti usque adhuc,
Vt filiam ab eo abduceres, neu, quod ego egissem, esset ratum.
Id nunc res indicium haec facit quo pacto factum volueris.

MYRRHINA.

Adeon' me esse pervicacem censes, cui mater siem,
Vt eo essem animo, ex usu si esset nostro hoc matrimonium?

PHIDIPPVS.

Tun' prospicere aut iudicare, nostram in rem quod sit, potes?
Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret
Exeuntem aut introeuntem ad amicam. Quid tum postea?
Si modeste ac raro hoc fecit, nonne dissimulare nos
Magis humanum est quam dare operam id scire, qui nos oderit?
Nam si is posset ab ea sese derepente avellere,
Quicum tot consuesset annos, non eum hominem ducerem
Nec virum sat firmum gnatae.

MYRRHINA.

Mitte adolescentem, obsecro,
Et quae me peccasse ais; abi, solum solus conveni;
Roga, velitne annon uxorem: si est ut dicat velle se,
Redde; sin est autem ut nolit, recte consului meae.

PHIDIPPVS.

Siquidem ille ipse non volt, et tu sensisti, in eo, Myrrhina,
Peccatum, aderam, cuius consilio par ea fuerat prospici.
Quamobrem incendor ira, te ausam facere haec iniussu meo.
Interdico, ne extulisse extra aedes puerum usquam velis.
Set ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulem:
Ibo intro atque edicam servis, ne quoquam efferri sinant.

MYRRHINA.

Nullum pol credo mulierem me miseriorem vivere!
Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem, ut siet, resciverit,
Non edepol clam me est, cum hoc, quod levius, tam animo iracundo tulit,
Nec, qua via sententia eius possit mutari, scio.
Hoc unum fuerat plurimis ex miseriis mihi reliqūum,
Si puerum ut tollam cogit, cui nos qui sit nescimus pater:
Nam cum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est,
Neque detractum est tum quidquam ei, qui nosci possit, qui siet;
Ipse eripit vi, in digito quem habuit, virgini abiens anulum.
Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra nequeat diutius
Celare, cum alienum puerum tolli pro suo sciet.

SOSTRATA. PAMPHILVS.

SOSTRATA.

Non clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam, uxorem tuam IV. 2.
Propter meos mores hinc abisse, etsi dissimulas sedulo:
Verum, ita me di ament itaque obtingant ex te quae exopto mihi, ut
Nunquam sciens commerui, merito ut odium caperet eam mei.
Teque ante quom me amare rebar, ei re firmasti fidem:
Nam mi intus tuus pater narravit modo, quo pacto me habueris
Praepositam amori: nunc tibi me certum est contra gratiam
Referre, ut apud me praemium esse positum pietati scias.
Mi Pamphile, hoc et vobis et meae commodum famae arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre,
Ne mea praesentia obstet neu causa ulla restet reliqũa,
Quin tua Philumena ad te redeat.

PAMPHILVS.

Quaeso, quid istuc consili est?
Illius stultitia victa ex urbe tu rus habitatum ut migres?
Non facies neque sinam, ut, qui nobis, mater, maledictum velit,
Mea pertinacia esse dicat factum, haut tua modestia;
Tum, tuas amicas te et cognatas deserere et festos dies
Mea causa, nolo.

SOSTRATA.

Nil mihi pol iam istaec voluptatis ferunt;
Dum aetatis tempus tulit, perfuncta satis sum; satias iam tenet
Studiorum istorum: haec mihi nunc cura est maxuma, ut ne cui meae
Longinquitas aetatis obstet, mortem ut exspectet meam.
Hic video me esse invisam immerito: tempus est concedere:
Sic optume, ut ego opinor, omnes causas praecidam omnibus,
Et me hac suspicione exsolvam et illis morem gessero.
Sine me, obsecro, hoc effugere, volgus quod male audit mulierum.

PAMPHILVS.

Quam fortunatus ceteris sim rebus absque una foret,
Hanc matrem habens, uxorem autem illanc!

SOSTRATA.

Obsecro, mi Pamphile,
Non tute incommodam rem, ut quaeque est, in animum induces pati?
Si cetera ita sunt ut vis itaque ut esse ego illa existumo,
Mi gnate, da mi hanc veniam: redduc illam.

PAMPHILVS.

Vae misero mihi!

SOSTRATA.

Et mihi quidem: nam haec res non minus me male habet quam te, gnate mi!



LACHES. SOSTRATA. PAMPHILVS.

LACHES.

Quem cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi, uxor. IV. 3.
Sapere istuc, qui, ubicunque opus sit, possis flectere animum.
Postidea quod faciundum fors sit, nunc item hoc fuat pol.
Abi rus ergo hinc: ibi ego te, et tu feres me.

SOSTRATA.

Spero ecastor.

LACHES.

I ergo et compone, quae simul tecum ferantur. Dixi.

SOSTRATA.

Ita, ut iubes, faciam.

PAMPHILVS.

Pater!

LACHES.

Quid vis, Pamphile?

PAMPHILVS.

Hinc abire matrem? minume!

LACHES.

Quid ita istuc vis?

PAMPHILVS.

Quia de uxore incertus sum etiam, quid siem facturus.

LACHES.

Quid id est?
Quid vis facere, nisi reducere?

PAMPHILVS.

Equidem cupio et vix contineor,
Set non minuam meum consilium: ex usu quod mi est, persequar. —
Credon', ea gratia concordes mage, si redducam, fore?

LACHES.

Nescias; nequeas: verum id refert nihil, utrum illae fecerint,
Quando haec aberit. Odiosa haec est aetas adolescentulis:
E medio est aequom excedere.
Postremo iam nos fabula sumus, Pamphile, senex atque anus.
Sed video Phidippum egredi per tempus: accedamus.

PHIDIPPVS. LACHES. PAMPHILVS.

PHIDIPPVS.

— Tibique edepol iratus sum, Philumena, ac IV. 4.
Graviter quidem: nam hercle abs te factum turpiter;
Etsi tibi causa est de hac re: mater te impulit;
Huic vero nulla est.

LACHES.

Opportune te mihi,
Phidippe, in ipso tempore ostendis.

PHIDIPPVS.

Quid est?

PAMPHILVS.

Quid respondebo his aut quo pacto hoc operiam?

LACHES.

Dic filiae, rus concessuram hinc Sostratam,
Ne revereatur, minus iam quo redeat domum.

PHIDIPPVS.

Ah,
Nullam de his rebus culpam commeruit tua:
A Myrrhina mea haec sunt exorta omnia;....

LACHES.

Mutatio fit!

Phidippvs.

Ea nos perturbat, Lache.

Pamphilvs.

Dum ne reducam, turbet porro quam velit.

Phidippvs.

Ego, Pamphile, esse inter nos, si fieri potest,
Adfinitatem hanc sane perpetuam volo;
Sin est ut aliter tua siet sententia,
Accipias puerum.

Pamphilvs.

Sensit peperisse: occidi!

Laches.

Puerum? quem puerum?

Phidippvs.

Natus est nobis nepos:
Nam abducta a vobis praegnas fuerat filia,
Neque fuisse praegnatem unquam ante hunc scivi diem.

Laches.

Bene, ita me di ament, nuntias et gaudeo,
Natum illum et illam salvam. Set quid mulieris
Vxorem habes aut quibus moratum moribus?
Nosne hoc celatos tamdiu? nequeo satis,
Quam hoc mihi videtur prave factum, proloqui.

Phidippvs.

Non tibi illud factum minus placet quam mihi, Laches.

Pamphilvs.

Etiamsi dudum ambiguum fuerat hoc mihi,
Nunc non est, eam cum sequitur alienus puer.

Laches.

Tibi nulla, Pamphile, hic iam consultatio est.

Pamphilvs.

Perii!

Laches.

Hunc videre saepe optabamus diem,
Cum ex te esset aliquis, qui te adpellaret patrem:
Evenit: habeo gratiam dîs.

PAMPHILVS.

Nullus sum!

LACHES.

Reduc uxorem ac noli advorsari mihi.

PAMPHILVS.

Pater, si illa ex me liberos vellet sibi
Aut mecum se esse nuptam, sat certo scio,
Non clam me haberet quod celasse intelligo:
Nunc cum alienum eius a me esse animum sentiam,
Nec conventurum inter nos posthac arbitrer,
Quamobrem reducam?

LACHES.

Mater quod suasit sua,
Adolescens mulier fecit. Mirandumne id est?
Censen', te reperire ullam posse mulierem,
Quae careat culpa? an, quia non delinquunt viri?

PHIDIPPVS.

Vosmet videte iam, Lache, et tu, Pamphile,
Remissan' opus sit vobis, redductan' domum;
Vxor quid faciat, in manu non est mea;
Neutra in re vobis difficultas a me erit:
Set quid faciemus puero?

LACHES.

Ridicule rogas:
Quidquid futurum, huic scilicet reddas suum,
Vt nostrum alamus.

PAMPHILVS.

Quem ipse neglexit pater,
Ego alam?

LACHES.

Quid dixti? eho, annon alemus, Pamphile?
Prodemus quaeso potius? quae haec amentia est?
Enimvero prorsus iam tacere non queo:
Nam cogis ea quae nolo ut praesente hoc loquar.
Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me,
Aut quid sit hoc, quod sollicitere ad hunc modum?

Primum hanc ubi dixti causam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc uxorem domi,
Pollicita est ea, se concessuram ex aedibus;
Nunc postquam ademtam hanc quoque tibi causam vides,
Puer quia natus clam te est, nactus alteram es.
Erras, tui animi si me esse ignarum putas.
Aliquando tandem huc animum ut adducas tuum,
Quam longum amandi amicam tibi spatium dedi!
Sumtus, quos fecisti in eam, quam animo aequo tuli!
Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres;
Tempus dixi esse: impulsu duxisti meo;
Quae tum, obsecutus mihi, fecisti, ut decuerat;
Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuum,
Cui tu obsecutus facis huic adeo iniuriam:
Nam in eandem vitam te revolutum denuo
Video esse.

PAMPHILVS.

Mene?

LACHES.

Te ipsum, et facis iniuriam:
Confingis causas falsas ad discordiam,
Vt cum illa vivas, testem hanc cum abs te amoveris.
Sensitque adeo uxor: nam alia quae causa ei fuit,
Quamobrem abs te abiret?

PHIDIPPVS.

Plane hic divinat: nam id est.

PAMPHILVS.

Dabo iusiurandum, nihil esse istorum, tibi.

LACHES.

Ah, redduc ipsam, aut, quamobrem opus non sit, cedo.

PAMPHILVS.

Non est nunc tempus.

LACHES.

Puerum accipias: nam is quidem

In culpa non est; post de matre videro.

PAMPHILVS.

Omnimodis ego miser sum, nec, quid agam, scio:
Tot me nunc rebus miserum concludit pater.
Abibo hinc, praesens quando promoveo parum:
Nam puerum, credo, iniussu non tollent meo,
Praesertim in ea re cum sit mi adiutrix socrus.

LACHES.

Fugis, hem! nec quidquam certi respondes mihi? —
Num tibi videtur esse apud sese? — sine!
Puerum, Phidippe, mihi cedo: ego alam.

PHIDIPPVS.

Maxume.
Non mirum fecit uxor, si hoc aegre tulit:
Amarae mulieres sunt, non facile haec ferunt.
Propterea haec ira est: nam ipsa narravit mihi;
Id ego hoc praesente tibi nolueram dicere,
Neque ei credebam primo: nunc vero palam est:
Nam omnino abhorrere animum huic video a nuptiis.

LACHES.

Quid ergo agam, Phidippe? quid das consili?

PHIDIPPVS.

Quid agas? meretricem hanc primum adeundam censeo:
Oremus, accusemus, gravius denique
Minitemur, si cum illo habuerit rem postea.

LACHES.

Faciam, ut mones. Eho, puere, curre ad Bacchidem hanc
Vicinam nostram; huc evoca verbis meis!
At te oro, porro in hac re adiutor sis mihi.

PHIDIPPVS.

Ah,
Iam dudum dixi itidemque nunc dico, Lache,
Manere adfinitatem inter nos hanc volo,
Si ullo modo est ut possit; quod spero fore.

Sed vin' adesse me una, dum istam convenis?

LACHES.

Imo vero aliquam puero nutricem para.

BACCHIS. LACHES.

BACCHIS.

Non hoc de nihilo est quod Laches me nunc conventam esse expetit, IV. 5.
Nec pol me multum fallit quin, quod suspicor, sit quod velit.

LACHES.

Videndum est, propter iram minus hinc ne impetrem quam possiem,
Aut ne quid faciam plus, quod post me minus fecisse satius sit.
Adgrediar. — Salve, Bacchis.

BACCHIS.

O salve, Laches.

LACHES.

Credo edepol te nonnil mirari, Bacchis, quid sit,
Quapropter te huc foras puerum evocare iussi.

BACCHIS.

Ego pol quoque etiam timida sum, quom venit in mentem, quae sim,
Ne nomen quaesti mi obsiet: nam mores facile tutor.

LACHES.

Si vera dicis, nil tibi est a me pericli, mulier:
Nam iam aetate ea sum, ut non siet peccata mi ignosci aequom:
Quo magis res omnes cautius, ne temere faciam, adcuro:
Nunc si id facis facturave es, bonas quod par est facere,
Inscitum offerre iniuriam tibi me est immerenti.

BACCHIS.

Est magnam ecastor gratiam de istac re quod tibi habeam:
Nam qui post factam iniuriam purget, parum mihi prosit.
Set quid istuc est?

LACHES.

Meum receptas filium ad te Pamphilum.

BACCHIS.

Ah....

LACHES.

Sine dicam. Vxorem hanc priusquam duxit, vostrum amorem pertuli....

BACCHIS.

Men ...?

LACHES.

Mane: nondum etiam id, quod volui, dixi. Hic nunc habet uxorem:
Quaere alium tibi firmiorem, dum tempus consulendi est:
Nam neque ille hoc animo erit pol nec tu eadem istaec aetatem.

BACCHIS.

Quis id ait?

LACHES.

Socrus.

BACCHIS.

Mene?

LACHES.

Te ipsam; et filiam abduxit suam,
Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui est, extinguere.

BACCHIS.

Aliud scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem,
Sanctius quam iusiurandum, id pollicerer tibi, Lache,

Segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.

LACHES.

Lepida es. Set scin', quid volo potius sodes facias?

BACCHIS.

Quid? cedo.

LACHES.

Eas ad mulieres huc intro atque istuc iusiurandum idem
Polliceare; illis exple animum, teque hoc crimine expedi.

BACCHIS.

Faciam, quod pol, si esset alia ex hoc quaestu, haut faceret, scio,
Vt de tali causa nuptae mulieri se ostenderet;
Set nolo, esse falsa fama gnatum suspectum tuum,
Nec leviorem vobis, quibus est minume aequom, viderier
Immerito: nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem.

LACHES.

Facilem benevolumque lingua tua iam tibi me reddidit:
Nam non sunt solae arbitratae haec, ego quoque etiam credidi;
Nunc, cum ego te esse praeter nostram opinionem comperi,
Fac eadem ut sis porro: nostra utere amicitia, ut voles.
Aliter si — set repprimam me, ne aegre quidquam ex me audias.
Verum te hoc unum moneo, qualis sim amicus ac, quid prosim
Potius quam inimicer, ut periclum facias.

PHIDIPPVS. LACHES. BACCHIS.

PHIDIPPVS.

Nil tibi apud me IV. 6.
Desieri patiar quin, quod est, benigne praebeatur;
Set tu cum satura atque ebria es, et puer satur sit facito.

LACHES.

Noster socer, video, venit; puero nutricem adducit. —
Phidippe, Bacchis deierat persancte,....

PHIDIPPVS.

Haeccine ea est?

LACHES.

Haec est.

PHIDIPPVS.

Nec pol istae metuunt deos, neque has respicere deos opinor.

BACCHIS.

Ancillas dedo; quolibet cruciatu per me exquire.
Haec res hic agitur: Pamphilo me facere ut redeat uxor
Oportet; quod si effecero, non poenitet me famae,
Solam fecisse id, alias quod meretrices facere fugitant.

LACHES.

Phidippe, nostras mulieres suspectas fuisse falso
Nobis, in re ipsa invenimus; porro hoc nunc experiamur:
Nam si compererit crimini tua se uxor credidisse,
Missam iram faciet; sin item est ob eam rem iratus gnatus;
Quod peperit uxor clam, leve id: cito ab eo haec ira abscedet.
Profecto in hac re nil mali est, quod sit discidio dignum.

PHI-

PHIDIPPVS.

Velim quidem hercle.

LACHES.

Exquire: adest: quod satis sit, faciet ipsa.

PHIDIPPVS.

Quid mi istaec narras? an, quia non tute dudum audisti,
De hac re animus ut sit meus, Laches? illis modo explete animum.

LACHES.

Quaeso edepol, Bacchis, quod mihi es pollicita, tute ut serves.

BACCHIS.

Ob eam rem vin' ergo introeam?

LACHES.

I atque exple animum et coge ut credant.

BACCHIS.

Eo, etsi scio pol, his meum fore conspectum invisum hodie:
Nam nupta meretrici hostis est, a viro ubi segregata est.

LACHES.

At haec amica erit, ubi, quamobrem adveneris, resciscet.

PHIDIPPVS.

Item has amicas fore tibi promitto, rem ubi cognorint:
Nam illas errore et te simul suspicione exsolves.

BACCHIS.

Perii, pudet Philumenae! — Sequimini me intro huc ambae.

LACHES.

Quid est quod malim quam quod huic intelligo evenire,
Vt gratiam ineat sine suo dispendio et mihi prosit?
Nam si est ut haec nunc Pamphilum vere ab se segregarit,

Scit, sibi nobilitatem ex eo paratam et gloriam esse,
Referensque gratiam una nos sibi opera amicos iunget.

PARMENO.

Edepol nae meam herus esse operam deputat parvi preti, I. 1.
Qui ob rem nullam misit, frustra ubi totum desedi diem,
Myconium hospitem dum exspecto in arce Callidemidem;
Itaque ineptus hodie dum illi sedeo, ut quisquam venerat,
Accedebam: Adolescens, dicdum, quaeso, tun' es Myconius? —
Non sum. — At Callidemides? — Non. — Hospitem ecquem Pamphilum
Hic habes? Omnes negabant, neque eum quenquam esse arbitror.
Denique hercle iam pudebat: abii. Set quid Bacchidem
Ab nostro adfine exeuntem video? huic hic quid est rei?

BACCHIS. PARMENO.

BACCHIS.

Parmeno, opportune te offers: propere curre ad Pamphilum. V. 2.

PARMENO.

Quid eo?

BACCHIS.

Dic, me orare, ut veniat.

PARMENO.

Ad te?

BACCHIS.

Imo ad Philumenam.

PARMENO.

Quid rei est?

BACCHIS.

Tua quod nil refert, percontari desinas.

PARMENO.

Nil aliud dicam?

BACCHIS.

Etiam, cognosse anulum illum Myrrhinam
Gnatae suae fuisse, quem ipsus dederat olim mihi.

PARMENO.

Scio.

Tantumne est?

BACCHIS.

Tantum; aderit continuo, hoc ubi ex te audiverit.

Set cessas?

PARMENO.

Minume quidem: namque hodie mihi potestas non data est:
Ita cursando atque ambulando totum contrivi diem.

BACCHIS.

Quantam obtuli adventu meo laetitiam Pamphilo hodie!
Quot commodas res attuli, quot autem ademi curas!
Gnatum restituo, pene qui harum ipsiusque opera periit;
Vxorem, quam nunquam est ratus posthac habiturum, reddo;
Qua re suspectus suo patri et Phidippo fuit, exsolvi.
Hic adeo his rebus anulus fuit initium inveniundis:

Nam memini, abhinc menses decem fere ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum sine comite, vini plenum,
Cum hoc anulo. Extimui illico: mi Pamphile, inquam, amabo,
Quid exanimatus, obsecro, aut unde anulum istum nactus?
Dic mi! — Ille alias res agere se simulare. Id postquam video,
Nescio quid suspicari coepi et magis instare ut dicat:
Homo se fatetur vi in via nescio quam compressisse,
Dicitque, sese illi anulum, dum luctat, detraxisse.
Eum cognovit Myrrhina haec in digito modo me habente,
Rogat, unde sit; narro omnia haec: inde est cognitio facta,
Philumenam esse ab eo compressam et filium inde hunc natum.
Haec tot propter me gaudia illi contigisse laetor,
Etsi hoc meretrices alias nolunt (neque enim est in rem nostram),
Vt quisquam amator nuptiis laetetur; verum ecastor
Nunquam animum quaesti gratia ad malas adducam partes.
Ego, dum illo licitum est, usa sum benigno et lepido et comi;
Incommode de nuptiis mi evenit (factum fateor):
At pol me fecisse arbitror, ne id merito mi eveniret.
Multa ex quo fuerint commoda, eius incommoda aequom est ferre.

PAMPHILVS. PARMENO. BACCHIS.

PAMPHILVS.

Vide, mi Parmeno, etiam sodes, haec mi ut certa et clara attuleris, V. 3.

Ne me in breve coniicias tempus gaudio hoc falso frui!

PARMENO.

Visum est.

PAMPHILVS.

Certen'?

PARMENO.

Certe.

PAMPHILVS.

Deus sum, si ita est.

PARMENO.

Verum reperies.

PAMPHILVS.

Manedum, sodes: timeo, ne aliud credam atque aliud nunties.

PARMENO.

Maneo.

PAMPHILVS.

Sic dixisse opinor: invenisse Myrrhinam,
Bacchidem suum anulum habere....

PARMENO.

Factum.

PAMPHILVS.

Eum, quem olim ei dedi.

Eaque hoc te mihi nuntiare iussit. Itane est factum?

PARMENO.

Ita, inquam.

PAMPHILVS.

Quis fortunatior adeo et venustatis est
Plenior me? hoc te pro nuntio quidne ego
Donem? quid? nescio.

PARMENO.

At ego scio.

PAMPHILVS.

Quid?

PARMENO.

Nil enim:
Nam neque in nuntio nec me in ipso tibi
Quid boni sit, scio.

PAMPHILVS.

Egone, qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,
Sine munere te sinam a me abire? ah, nimium me ingratum putas.
Set Bacchidem eccam video stare ante ostium.
Me exspectat, credo: adibo.

BACCHIS.

Salve, Pamphile.

PAMPHILVS.

O Bacchis, o mea Bacchis, servatrix mea!

BACCHIS.

Bene factum et volupe est!

PAMPHILVS.

Factis, ut credam, facis,
Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
Voluptati obitus, sermo, ut, quocunque advenis,
Semper sit.

BACCHIS.

At tu ecastor morem antiquom atque ingenium obtines,
Vt unus omnium homo te vivat nusquam quisquam blandior.

PAMPHILVS.

Ha ha he, tun' mi istuc?

BACCHIS.

Recte amasti, Pamphile, uxorem tuam:
Nam nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram:
Perliberalis visa est.

PAMPHILVS.

Tibi vero?

BACCHIS.

Ita me di ament, Pamphile.

PAMPHILVS.

Dic mihi: numquid harum rerum patri iam?

BACCHIS.

Nil.

PAMPHILVS.

Neque opus est
Mutito adeo: non placet itidem hoc fieri ut in comoediis,
Omnes omnia ubi resciscunt; hic, quos par fuerat, sciunt,
Quos non autem scire est aequom, neque resciscent neque scient.

BACCHIS.

Imo etiam, qui occultum hoc iri facilius credas, dabo:
Myrrhina ita Phidippo dixit, iuriiurando meo
Se fidem habuisse et propterea te sibi purgatum.

PAMPHILVS.

Optume;
Speroque hanc rem esse eventuram nobis ex sententia.

PARMENO.

Here, licetne scire ex te hodie, quid id est, quod feci boni,
Aut quid istuc est, quod agitis?

PAMPHILVS.

Non licet.

PARMENO.

Tam suspicor. —
Egon' ab Orco hunc mortuum? quo pacto?

PAMPHILVS.

Nescis, Parmeno,
Quantum hodie profueris, et me ex quanta aerumna extraxeris.

PARMENO.

Imo scio, neque hoc imprudens feci.

PAMPHILVS.

Ego istuc sat scio.

PARMENO.

An

Temere quidquam Parmenonem praetereat, quod usus sit?

PAMPHILVS.

Sequere me intro, Parmeno.

PARMENO.

Sequor. — Equidem plus hodie boni

Feci imprudens quam sciens ante hunc diem unquam.

CANTOR.

Plaudite.



ANNOTATIONES.

ANNOTATIONES

IN VITAM TERENTII DONATO ATTRIBVTAM.

Natus est Terentius secundum Koeleri rationem anno ante Christum 194, denatus 161, ut vix annum vitae 33 excesserit.

Dominum, ita Gronov., ut postulat verbum commercio.

Corn. Nepos. In libris Chronicorum, maxima ex parte deperditis. 15 autem annos maior natu Terentius fuit Scipione, quem Laelius paulum aetate anteibat. vid. Schott. ad Nepotis hunc locum.

Porcius Licinius, vetus poëta non ignobilis, de quo vid. Gell. N. A. 17, 21. 19, 9. Versus sunt trochaïci tetram. catal.

Ceterum in hisce versibus alii legunt voce divina, alii voci divinae, quorum illud quidem vitiosum, hoc autem antiquioris formae interpretamentum est. v. etiam ἀμέτρως coenitare, et: nihil ei Laelius.

V.: Dum se amari ab hisce credit, quod futile glossema sequentium. In Dum intelligendum ex antecedentibus: pulchrum putat.

V. in Graeciam, in terram ultimam, quasi mirum quantum abesset ab Italia Graecia.

Volcatius Sedigitus, de quo Gell. N. A. 15, 24. Versus haud dubie prolatus ex illius libro de poëtis, iambicis senariis conscripto. Quare vulgatum his pro hisce mendosum arbitror.

Cic. ad Attic. 7, 3.

V.: q. tamen magis et usque etc. obscure.

Cal. Mart. Quia hoc die regnum matronarum erat. Tan. Faber.

Cosconius. Ita MSS. Laudat Cosconium Varro de lingua lat. 5, monente Lindenbrog.

Nihil erat, quod miraretur bonus Donatus: nam habuit sane hortulos 20 iugerum poëta, sed sua, non Laelii aut Scipionis, opera acquisitos.

Limone. Libro perdito.

In versibus Caesaris vulgo continue scribunt: vis Comica, quod verbum per omnes fere hodiernas linguas propagatum est. sed recte monet vir egregius, Fridericus Augustus Wolfius, Academiae Halensis decus, coniungenda esse verba Comica et virtus, ut Comica virtus indicet ingenium Latinorum ad fabulas conscribendas, sive artem eorum Comicam.

In Valgii versiculis adhuc legebatur cuius, vel cuiae, sunt, sententia refragante. Obsoletum illud ne pro non cum displiceret librariis, cito expunctum est. Ἀνακολούθως autem haec dicta sunt; quam figuram eleganter illustrat Muretus epistol. 1, 33.

Confirmatur etiam hoc loco Plautinum illud hibus pro his, lectum olim Prisciano, expulsum a recentioribus, ceteroquin bonae notae, Criticis, qui iibus, eadem analogia formatum verbum, vetante quidem totius loci indole, praetulerunt.

Ceterum hic Valgius, alius a Grammatico cognomine, cuius meminere Plinius maior et Gellius, Comoediarum scriptor fuit satis obscurus.

De Donato ipso, quis fuerit, quando vixerit, omnia in vulgus nota.

ANNOTATIONES IN ANDRIAM.

Argumenta singularum fabularum metrica feruntur Caii Sulpitii Apollinaris, viri eruditi, qui Pertinacem imperatorem Latinas literas docuit.

Huius argumenti versu 4 desponsaverat dedi ex B et H, cum vulgo legatur inconcinne: nam aliam pater ei desponderat. Codex C: sibi desponderat. Verbum aliam sub ictu ponendum erat.

Eiusdem versu 7 codex A habeat, minus bene.

Versu 12 v. aliam legitur pro illam, confusione A et I literarum non infrequenti in codicibus.

ANNOTATIONES IN TITVLVM SEV DIDASCALIAM.

Ludis Megalensibus. Festum Cybeles, dictum Megalesia seu Megalensia, ludis, praesertim scenicis, celebratum fuisse mense Aprili, notum est.

Aedil. curul. Cicero secundo de Legibus: Sunto Aediles Curatores urbi annonae ludorumque solemnium.

L. Ambivius Turpio. Symmachus epistol. 10, 2: Non idem honos in pronunciandis fabulis P. Pollioni qui Ambivio fuit: neque par Aesopo et Roscio fama processit. cf. eiusdem libri epist. 25. Minus celeber in scena fuit L. Attilius Praenestinus. cf. animadversionem ad fabulae versum ultimum.

Claudi. Intell. libertus. v. male additur filius.

Tibiis paribus dextris et sinistris. Abundant ad sensum verba dextris et sinistris: notum enim, veteres musicos duas simul tibias inflasse, dextra manu dextram tibiam, laeva sinistram: unde, istis verbis omissis, idem tamen dicitur in titulo Hecyrae. Alia res est, cum significanter dicuntur aut dextrae aut sinistrae tibiae, ut in titulo Eunuchi; tunc enim, teste Apuleio Florid. 1, dextras interpretandum illas tibias, quae gravem habebant sonum, αὐλοὶ ἀνδρήϊοι secundum Herodotum 1, 17. ex Larcheri interpretatione, sinistras, quae acutum, αὐλοὶ γυναικήϊοι. quarum proinde alterae, sinistrae, Varroni de re rust. 1, 11 recte dicuntur eiusdem carminis modorum incentivae (discant), alterae, dextrae, succentivae (baſs). Legendum autem in loco Apuleii tinnitu pro finitu, et apud Varronem l. l.: modorum succentiva, altera incentiva. Dextrae tibiae appellabantur quoque Lydiae, sinistrae Sarranae. Vbi impares memorantur, intelligendae sunt, secundum Donatum, tibiae Phrygiae, quarum dextra, ut ait Varro, unum foramen habebat acuto sono, sinistra duo gravi. Tibias pares in motoriis quidem argumentis accipiam sinistras seu Sarranas, ut idem musicae genus hic indicetur atque in didascaliis Adelphorum et Hecyrae. sed minus curiosi in hoc genere fuisse videntur Romani, siquidem in laetissima Eunuchi fabula adhibuere duas dextras tibias, in Heautontimorumeno primum impares, dein item dextras, puto, quia antiquiores ideoque populo novi non admodum amanti probatissimas. vid. clar. Böttigeri Attische Mythen in Mus. Attic. 1, 2 pag. 334 et ibi qui laudan-

tur auctores, inprimis Salmasius ad Solin. p. 86 sqq. et Scriptt. histor. Aug. t. 2. p. 826. Nomen servi gentile, ni fallor, est Pyrrhias seu Pyrrhia, non Byrrhia; sed libris in hoc omnibus conspirantibus novare nolui. vid. Schol. Aristophan. ad Ran. 742.

PROLOGVS.

Qui subinde nominatur in his annotationibus, Eugraphius, Terentii Scholiasta non malae notae, vixit sub Othone 3, circa ann. Chr. 998. vid. Gisberti Cuperi observatt. pag. 127.

Versu 3. fabulas. Enallage casuum, ex more Graeco. cf. 26 Hec. prol. 2 4 184. Aristoph. Lysistr. 63, 7.

7. v. maledictis, versu pessimo: nam qui similes alibi reperiuntur, velut 737 Eun. prol. 13 Hec. 433 451, illi ipsi quoque corrupti sunt, ut suis quaeque locis videbimus. In verbo maledicis intellige prologis ex prope antecedentibus. Similiter ac Terentius fabularum suarum prologis ad exagitandos adversarios usus erat Luscius, poëta Comicus non omnino malus, Terentio quidem florente iam senior. vid. Gelii N. A.

11. v. Non ita dissimili argumento. Sed tepida haec sunt, comparata cum praecedentibus,

Qui utramvis recte norit, ambas noverit,

quibus intelligitur, fabulas istas Menandri persimiles fuisse. Recte igitur habet: ita non sunt dissimili argumento, quomodo haec verba etiam Donatus vel scripta invenit, vel certe ordinari voluit.

13. Hic a Be. additum, ne Menander intelligatur, sed Terentius. Et s. quidem p. de se ipse in prologis. Quae emendatio confirmari videtur codice B, in quo post Perinthiam verbum, quale hij, i. e. hi, vel quiddam simile, evidenter erasum est.

15. Gu. 1. in eum, prave legente librario.

17. v. faciunt nae, quod et ipsum ferri potest. Iam Donati tempore disceptatum de hoc loco. Nostri libri omnes Faciunt ne, et s. Be.

19. Credamus Terentio, quidni enim? similiter istos contaminasse fabulas: nam quas conscripserant Ennius et Naevius comoedias, eae quidem omnes perierunt, et ex Plautinis, quae teste Gellio circiter 130 ferebantur, hodie exstant 20, ex quibus fortasse una,

Amphitruo, pro exemplo coniunctarum in unum duarum fabularum, tragicae et comicae, esse potest.

20. C spectat, haud male.

25. v. relliquum, metro laborante, nam hoc verbum apud veteres semper 4 syllabis efferebatur. vid. Be. ad Phaedri fab. 1, 31, 13, nos ad Eun. 940.

26. v. Posthac quas faciet. Sed quis faceret, indicandum erat.

FABVLAE versu 12 v. legitur: Quod habui summum pretium. Sed accentu praecipuo gaudere debet gravissima vox summum. Pronomina passim vel addita vel omissa temere in Comicis deprehenduntur.

13. haud muto. sic Catullus de Suffeno:

— tantum abhorret ac mutat.

vid. Be. ad h. l.

14. placeat. sic B C H, quod et elegantius vulgato placet, et metro aptius: quoniam ista regione amantur spondeus eique compares pedes.

16. Set hoc mihi. Ita codd. Gu. uterque et H, neque aliter Be., codd. haud dubie secutus suos. Vulgares tamen librarii et editores, versui timentes: Sed mihi hoc. saltem dedissent S. mi hoc. sed neutro indigemus. vid. Bentleii Schediasma de metris Terentianis.

17. v. Quasi exprobratio est immemoris benefici. Be.: immemori, ad evitandam duorum genitivorum ambiguitatem. Sed in talibus non ita argutabantur veteres, cum ex duabus cuiusdam loci interpretationibus altera bonum et perspicuum praeberet sensum, altera ineptum. cf. Adelph. prol. 2 et Phorm. 330. Illud miror commisisse Bentleium, ut verba gravissima immemoris, vel immemori, et exprobratio in thesi laterent; quod vitium levi negotio correximus. Vides iam, immemori nec versui convenire.

18. Dic, quid est. vid. ad Eun. 478.

25. v. vivendi fuit potestas, inconcinne quidem. Be. Libera, minus, ut mihi videtur, probabiliter: nam est mutari facilius potuit a sciolo, qui praeteritum tempus requiri sibi persuaderet, quoniam illatum fuisset excessit. Verbum vivendi iam retrahit accentum.

36. H his.

37. Vulgo legitur inverso ordine: Eorum obsequi studiis, advorsus nemini. Caret legitima caesura hic

versus, estque in re lenissima asperrimus. Non talem artificem novi nostrum. Similiter peccatum 260.

51. Ab labore. Sic Gu. 1, quod elegantius vulgato a labore.

58. v. Illi id erat. Sed friget illi, cum toto loco non nisi de illa ipsa muliere agatur. C: Illi hoc erat nomen.

62. v. item alio, debilibus numeris et male collocata voce alio. Item et itidem saepius inter se permutata.

68. Scias μονοσυλλάβως legendum, ut alibi ei, eam, eum, eas, eos, eis vel iis, meus, mea, suus, sua, tuus, tua, fuit. et sic passim duae vocales, quae diphthongum non efficiunt, in unam syllabam contrahuntur apud Comicos. qua de re vidd. grammatici et inprimis Bentleii Schediasma. cf. etiam 373, Ad. 199.

70. Gu. 2. Benedicere, ex int.

72. Compulsus. Sic Gu. 1, quod versui aptissimum, modo tollas vulgatum est, quod post opus adscripsit nescio quis interpres. v. enim impulsus.

79. Tres Bentleii codd., item Gu. 1 B. ei metui. B ehi metui, H B. me: hei metui. Gu. 2 metui ei a' Chr. sed nihil muto.

80. v.

Cum illis, qui amabant Chrysidem, una aderat frequens.

Sed quis ferat tam saepe inculcatum mulieris nomen? Assumendum potius meus, quod versu praecedente post filius legitur in codice H. cf. 53 54. Amabant absolute positum, sicut 61: nam s. p. pronomina subaudiuntur. cf. Ad. 203.

89. v. quid est, solito errore. sequor codd. 3 Bentleii, 3 nostros B C Gu. 1.

92. Be.: Forma bona.... SOSIA. Fortasse. SIMO. Et voltu, etc. quod ratio non constet, cur Sosia, rei ignarus, de bona forma potius quam de mediocri harioletur. Fortasse, absolute positum, ut Heaut. 725, esse consentientis quidem, sed dubitanter et tepide. Sic ille. Contra nobis in verbo forma elegantissima deprehenditur ἀποσιώπησις, cum forma bona frigidiusculum quid sonet, ut quo in vulgaris pulcritudinis puella utatur minime commotus servulus 399, nec fortasse, absolute acceptum, satis pro modestia Sosiae videtur esse. O vulgatis abest, exstat in Gu. 1, quod placet, ut παθητικόν.

94. 95. Vulgo sic legitur:

Quia

Quia tum mihi lamentari praeter ceteras
Visa est, et quia erat forma praeter ceteras
Honesta et liberali, accedo ad pedisequas.

Reponendum esse quae cum pro quia tum, vidit Be., et sic plane legitur in codice haud malae notae, Gu. 1; sed neque verborum praeter ceteras repetitio satis est pro eloquentia Terentiana. Vide, quantas turbas dederit unius voculae prava scriptura, τοῦ quia versu horum medio, quod cum mancam efficere videretur orationem, cito ex antecedentibus suggestum est praeter ceteras, et ex Eunucho 626 honesta et liberali. Simili vitio Aristophanis Av. 1336. interpretandi causa verba δειλὸν ὄντα καὶ βραδὺν in antecedentibus sublecta nescio quis addidit: nam versus, ut strophico respondeat, sic legendus est:

Οὐκ ἔτι, μὰ τὰς κερχνῇδας, οὕτω σχήσομαί γ' ὁρῶν σε.

Satis, opinor, in proximis Glycerii eximiam speciem descripserat Simo, ut nunc verbis qua erat, forma, i. e. et quidem ea forma, qua erat, quae nec pedissequae vel praeficae, neque omnino vulgaris feminae, esse videretur, defungi posset. Qua ictu adiuvatum non eliditur.

98. V. Hinc illae lacrimae; quod in proverbii quidem locum cessit, hodieque omnibus visitur apud Ciceronem et Horatium: at tu, inquit Be., iam diiudica, annon elegantius sit, Hoc illud, Haec illae, Haec illa, eodem tenore dicere, quam alienum illud Hinc intrudere? Postquam hoc pro proverbio obtinuisset, et obsolevisset plurale femininum haec, Plauto et Nostro frequentatum (cf. Andr. 626 ibique Donat. Eun. 531 Phorm. 973), illius locum occupavit hinc, quod postea magistri in ipsum Terentium induxerunt.

101. Be. ad h. l.: Nostri codices plerique omnes (ut et Berolin. B et C) imposita (cum v. posita obtineat): recte et ex poëtae more. quippe amat, quantum fieri potest, elidere postremam syllabam, ut liquescat et misceatur sequenti, cavetque sibi ab accentu in ultimis syllabis contra indolem linguae latinae. Priscian. p. 1322: Omnes Comici crebris synaloephis et elisionibus et abiectionibus literae S sunt usi, Terentius autem plus omnibus.

Vnum cessantis synaloephes exemplum apud hunc succurrit, Hec. 1, 1.

115. v. Q. f. illi, qui dederit (vel secundum Be., dederit qui) damnum aut malum? Sed damnum in

ictu collocandum erat. Is et ille p. inter se permutantur.

118. v. ego illud sedulo. Gu. 1: sed. illud, H: id sed. Scires, addititium esse pronomen, quo medius versus oneratur: nam in initiis latius patet corripiendi syllabas licentia.

133. v. pedibusque, sed codd. nostri, praeter H, pedibus. Nempe glossatoris utraque copula est, qua omissa fortior evadit oratio. Cf. 646. Vidit Be.

155. Rogas? τοῦτό μ' ἐρωτᾷς: Aristoph. Lys. 493. leniter corripientis est. vid. index h. v.

147. Semper lenitas. ὑφὴν, graeco more, ut nuper notitia pro nupera notitia Heaut. 1.

149. v. datum iri, ex int., quod ex metro intelligitur: nam transitum ab iambicis plenis ad trochaïcos rite praeparat iambicus dimeter. Dari pro datum iri, ut 153 opprimi pro oppressum iri et 273 datur pro dabitur: s. p. praesentia veniunt pro futuris.

153. v. Sperantes et sequente versu Ne esset, illud sententiae detrimento, hoc versus: nam trochaïcum hic interturbare iambos, non ferendum. Codex B recte: nec esse.

161. Defert, quod versus exosculatur, ex Ciceronis epist. fam. 12, 25 bene arcessitum est a Bentleio. Adstipulatur Gu. 1, in quo male expuncto genuino verbo superscriptum legitur vulgatum affert. Similiter Graeci, ut monet Lindenbrogius: Ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα.

163. Post verba Hoc quid sit? MS. H haec inculcat: nescio. SI. S. quaeras, dicam. Omnes etc. Gu. 2.: Hoc quid sit, ignoro.

164. Gu. 1. in litura magisterium.

174. v. circuitione, sed: Circumire, inquit Be., semper Plautus et Noster, non circuire: neque elidunt M. Phorm. 4, 3, 10. Sic circumiri: et sic Horat. Circumagi. — Ita ille, et de M quidem addendo facile convenio, sed cur nunquam elidatur ea litera, causam ignoro. quo remedio neglecto nec Plauti Pseudol. 3, 2, 109. recte expediatur, neque hic ipse Terentii locus, nisi adhibeas synizesin, frequentatam Plauto, Aul. 2, 2. 9. Capt. 2, 2, 107 et 4, 2, 60. Cist. 1, 3, 53. Poen. 3, 3, 90 etc., Terentio insolitam. Dicendum potius, eiusmodi synaloephas pro lubitu poëtarum modo cessare, modo usurpari, saepius autem cessare in antiquioribus.

176. v. sed dico tibi, tepide in re tam gravi.

Edico, denuntio. cf. 466, ubi Donatus: Edixin' tibi; hic illud reddit, Edico tibi, ne temere facias. Be.

177. v. dicas, quasi et hoc quoque ediceret Simo. recte Cod. Vatican., tres Be. libri et noster C: dices. Neque haut negative accipiendum, ut neque non etiam apud Virgilium. sic Plautus ter quaterque, admonente Be., Noster infra 533.

186. Qua — qua, docente Be., sicut Plaut. Mil. glor. 4, 4, 20. Trin. 4, 3, 37. V. quo iure, quaque iniuria. Saltem dedissent qua iure.

188. v. Sive ista, merito improbante Be.: nam corripiendum esset sive, quod in vocalem natura longam non cadit. Promiscue usurpantur sive - sive, si — sive, ut Plaut. Curc. 1, 1, 4, si — si, Plaut. Capt. 1, 2, 5.

190. Gu. 1. Namque haec inc. am. est, non am. Gu. 2. Nam inc. haec am. est, haud am.

197. v. mihi quidem hercle non fit, versu hypermetro, ut facile intelligatur, alterutrum verborum quidem et hercle resecandum esse; atque delendum est hercle: nam omisso quidem, quod fit in codice nostro A, elideretur vox gravis mihi, quod fieri non posse, pulcre animadvertit Anglus elegantissimus.

198. v.:

— — — forum ut
Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater
imprudentem opprimat,

pessime collocato verbo Pamphilum, oppleto interpretamentis loco, metro autem temere mutato. Scilicet quia dicimur opprimi incauti vel imprudentes vel improviso, tale quid addendum censuit interpolator, et ne nihil non dictum esset et quasi literis consignatum, de hac re imprudentem scripsit, quomodo haud scio an nemo unquam veterum locutus sit. Aliter usurpatur de hac re, ut Ad. 88. Opprimere absolute ponitur, ut eiusdem fabulae 203. vid. ad Andr. 80. Sic saepius turbatum in libris veteribus, velut in loco quodam ex Aristophanis Pelargis, quem profert Comici Scholiastes ad Plut. 84, itidem duplici interpretamento, ἕνεκεν τῆς φειδωλίας et φυλακῆς ἕνεκα τῶν χρημάτων, obscurata est poëtae manus, quam sic, intellecto ἕνεκα in βίου, restituerim: Ὅστις προσίετ᾽ οὐδένα τοῦ γλισχροῦ βίου. Quale remedium dudum quoque expectabat strophicus iste locus Equit. 442 — 459, qui, deletis interpretamentis πανοῦργος εἶ et παῖ ᾽αὐτὸν ἀνδρικώτατα καὶ, nec non bis posito τῷ φεύξει γραφάς, repetitione efficacissima (cf. 249), ad amussim respondebit versibus eius dramatis 367

— 381. Constant autem hae strophae iambicis dimetris plenis, uno eiusdem generis catalectico, qui pro clausula est adhibitus, atque huic praemisso, tanquam ad casum praeparandum, iambico monometro; quomodo in anapaesticis usurpari solent monometri, quas bases vocant. Interiectiones ἰοὺ ἰοὺ non numerantur, sicut p. Et quoniam semel in eum locum incidimus, age similem maculam eluamus Pacis 471. Ibi enim quoque τῷ ἄγετον adscribillando ξυνέλκετον pessumdedere versum. Strophica haec ita legebam disponebamque:

anapaestici.

Stropha. ʼΕΡ. ὦ! Χ. εἶα μάλ'! ʼΕΡ. ὦ! Χ. ἔτι μάλ' ʼΕΡ. ὦ εἶ εἶ!
ΤΡ. ἀλλ' —
οὐ —— ὀγκύλλε-
σθ'! οἴμ., ὦ B.

Antistropha. ʼΕΡ. εἶά νυν! ΤΡ. εἶ, ὦ! Χ. ἄγετον καὶ σφώ! etc. Quod stropham finio versu 468 potius quam haec omnia strophae unius ambitu comprehendam, versibus 488—502 responsurae, ideo facio quod in versibus 466 et 593 edit. Brunck. subsistere aliquantillum actio videtur, et uterque hic locus ita expeditur facilius. Eiusdem fabulae 936 delendo glossemate θίλῃ γε χ' ἡ versum strophico, qui est 1021 edit. Invernizz., adaptaveris. Lysistratae quoque 480 plus glossematum est quam versuum: nam τόδε comitem suum habet πάθος vel τὸ πάθος, τὴν Κρανάαν — ἀκρόπολιν, ὅ τι βουλόμεναι — ἐφ' ὅ τι, μεγαλόπετρον denique putidum ἄβατον. Tu totum hunc epodum in posterum sic leges:

ʼΩ Ζεῦ — — κνωδάλοισιν; iamb. hippon.
Οὐ γὰρ ἔτ' ἀνεκτὰ τ. ἀ. β. dochm., in quo paeon pro dactylo, quod non infrequens.
Σοὶ μετ' ἐμοῦ τοῦ, ὅ τι βουλόμ. ποτε dochm.
Τὴν Κρ. κατέλαβον μεγαλόπε- dochm.
τρον, ἱερὸν τέμενος. dochmius, clausula.

Sed de deverticulo in viam.

200. v. Audivi, quasi semel tantum vociferatam, quod non convenit τῷ iamdudum. Vidit Be., qui et pro vulgato Archillis recte dedit Archylis, ʼΑρχυλίς, ut legitur Thestylis, Xystylis, Phidylis, Erotylis.

209. v. Proh deum atque hominum fidem, ex versu 12, ut opinor. Certe verba atque hominum, observante Be., a codice primariae notae absunt, vaganturque in aliis libris. sic saepius erratum. vid. ad Hec. 141. Hoc pro haec dabant Donatus et codex Collegii Corporis Christi. Legitur quoque vulgo: quid est, si etc. numeris durioribus, ut vix dubitem, est

profectum esse a nescio quo sciolo, qui non intelligeret, verba haec sic procedere: quid contumelia est, si hoc non?

214. v. id mutavit, minus eleganter, quod non latuit Bentleium. cf. 13.

217. v. quenquam, ut ego sum, verbis gravibus ut ego sum in thesi occultatis, cui vitio medicari nos scias, ubicunque de mutato verborum ordine nil monetur: nam quis finis esset talium annotationum futurus?

224. v. nam q. e. n. dicam de patre? Ah, male collocata voce patre. Be. nunc delere satis habuit; sed dicam est à glossatore. Vah versus poscit.

225. Bentleii codex regius Tantam; quod ipse praeferebat.

227. ac. ita duo Guelferbytani. v. et.

230. v. roget, sed. Eugraphius interroget, adstipulante metro.

237. de ipsa. Sic Gu. 1, quod concinnius vulgata lectione de illa.

239. agitur. Sic veteres editiones et codd. nostri praeter A et Gu. 1. Sic, vel etiam Quid fit? ut est Ad. 857 occurrentes interrogare solebant, ut et respondere interdum, velut Eun. 221: quid agitur? Statur. i. e.: Quid agis? Sto. Versus quoque iam minus debili incedit pede: nam ista regione amantur spondeus eique compares. cf. Heaut. 916.

241. A institutae, opinor, ex male intellecto con praepositionis compendio.

245. v. pro autem, quod nos reposuimus, legitur animo; sed friget hoc, praesertim cum modo habuerimus animum. Autem in enumerandis rationibus, ubi ad gravissimas ventum est, eleganter adhibetur. vid. 241. Compendia verborum autem et animo quam facile inter se permutentur, nemo nescit.

246. eius monosyllabum est, ut p. etiam cuius, huius.

249. v. adèon', variato in sequentibus accentu verbi, quod vitari solet. vid. Be.

250. v. Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum, debilitata oratione, verboque ingratum in thesi collocato, cum aut, verbum leve, accentu gaudeat. Emendavit Be.

253. v. scio, hanc meritam esse. Hanc abest a meliore parte codicum, neque ancillae de domina cum altero colloquenti convenit. V. etiam: ut memor esses

sui, depresso verbo memor. C sis, quod recepi, itaque et sequenti versu dedi Memor sim pro vulgato Memor essem.

258. v. quam illi nunc utraeque inutiles; insolite quidem, et verbo utraeque male posito. Sequimur codd. A et C veteresque editiones. Be. non sine auctoritate librorum: res nunc utiles, ironice: sed nativi sunt morientes.

260. V., inverso ordine: Et ad pudicitiam et ad rem tutandam sient, scabris numeris; nec dedecet meretricem, rei prius rationem habere quam pudicitiae. Transpositione facta prius et additum est ad explendum versum.

261. v. Quod ego te per hanc dextram oro et ingenium tuum. Genium recte reposuit Be. Sic Horatius epist. 1, 7, 94:

Quod te per Genium dextramque deosque Penates.

Sed neque oro ferendum est, utpote sententiae haud necessarium, cum sequatur obtestor, versum vero onerans, eiusque locum eum invadens, qui gravissimae debetur voci dexteram. Dexteram enim iam lego, non dextram, quod versus respuit. Dextera, dexteram, dexterum p. Noster Plautus et veteres.

268. Codd. A Gu. 2. H committo, ut et Lindenbrogianus, ex int. quidem elegantioris vocis.

269. v. Hanc mi in manum dat; quasi Glycerium ei in manum dedisset. Imo utrumque, et desponsionem Glycerii et permissionem bonorum, manu porrecta confirmavit mulier. Mirum est quantum male addenda H litera turbaverint, haec et similia scribentes hostium, honerare, hec quae pro ostium, onerare, ecquae.

271. v. ab illa, correpto τῷ illa, quod aegre fero in versu medio.

273. v. daturne, metro impeditiore.

277. v. quoniam; sed codex Bentleii Regius et noster A quando, quod sententiae magis aptum. cf., laudante Be., infra 775.

279. v. ex animo amoveas tuo, ex interpretamento lectionis nostrae, cuius meminit Donatus. Tuo redundat.

281. Menander:

Ὑγιὴς νοσοῦντα ῥᾷστα πᾶς τις νουθετεῖ.

282. hic. i. e. ego, graece. Aristophanes Lys. 680:

Ἀλλὰ τούτων χρῆν ἁπασῶν ἐς τετρημένον ξύλον
Ἐγκαθαρμόσαι λαβόντας τουτωῒ τὸν αὐχένα.

τουτωῒ, intellecto σὺν, una cum hoc, i. e. me: nam Brunckii τουτοῒ non magis arridet mihi quam vulgatum τουτονί. Probulo autem haec tribuenda cum libro Ravennate. cf. index v. hic.

285. prodat. Gu. 1 producat, ceteri nostri protrahat, ex int.

287. Si. i. e. etsi, quamvis.

292. v. neque auxilii copiam, pessime. sub Augusti demum senescentis aetate Ovidius, Propertius, dein alii, geminum i usurparunt in genitivis nominum substantivorum in ium vel ius exeuntium, ut ab eorum vocativis diversa quoque scriptura distinguerentur: nam accentu quidem in pronuntiatione semper distincti fuerant, quem penultima habebant genitivi (Valéri), antepenultima vocativi (Váleri). vid. Be. ad h. l. Verum hic servavit Eugraphius. Noster quoque liber A, sicut codd. Bentleii Petrensis et Regius: neque ad auxiliandum copiam. Gu. 2 copiam auxilii, quod ferri posset, modo reponeretur auxili. Sed correctorem sapit transpositio.

298. v. et per amorem, duris numeris. Per abest codice C.

300. Haec. ita Be., recte, ut vitetur homoeoteleuton. vid. index h. v. Atque sic perspicue Gu. 2.

302. V. Ego, Charine, neut. off. lib. etc. sed affectui convenit, metrum hic aliud adhiberi, cumque sequens versus haud dubie sit iambicus (nam cur mereat reponatur, ut Bentleio placet, nulla causa), haec quoque ad eandem normam refingenda erant. Ceterum scribendum esse, ut fere ubique scribitur in libris B C H, ne utiquam, non neutiquam, aut certe elidendum esse ne, ut anapaestus efficiatur, non amphimacer, multi docent poëtarum loci. Confer imprimis Heaut. 305. Monuit etiam Be. ad Hec. 68.

303. v. cum is nihil. frustra. sed in addendis, omittendis, mutandis denique inter se, pronominibus multum sibi indulserunt librarii.

305. v. Reddidisti. corr. Be., codicem Petrensem secutus, qui Reddixti. Nostri etiam Reddisti, i. e. reddixti, literis S et X passim confusis. Be. item tute pro vulg. tu, metri causa; nos pote pro potes, maxime propter sequentia facite, fingite, etc. quae requirerent potestis, non potes. si quid pote, i. e. si quid fieri

potest. similiter erratum supra 299, ubi itidem v. potes, Be. improbante.

307. qui ne mihi. sic Donatus, optime collocato ne.

309. Gu. 2 haud male: quae minime opus.

311. v. metum in quo nunc, vix audito verbo metum. Be. quo in, figura veteribus familiari. vid. Plaut. Curc. 4, 1, 6; sed natum puto in ex — um, quod praecedit, et reponendum qui, quod haud minus elegans.

315. v. aut quo nunc. sed abest aut melioribus libris, in his A.

316. Habeo. Donatus: Videtur quasi constitisse, deinde elegisse, quo pergat. v. putide: abeo.

317. vett. edd. o Charine, refragantibus scriptis. Atqui acuendum euge, cuius posteriorem syllabam esse ambiguam, ut Bentleio placet, non adducor ut credam, neque id probant loca ex Plauto prolata, Merc. 3, 4, 41, ubi de lectione controversia est, et Asin. 3, 2, 9, ubi sic legam:

Pugnando, vi, periuriisque nostris eu potiti. eu et euge saepius confusa, velut etiam Phorm. 831. Alia res est interiectionum atat similiumque per se nihil significantium, quae non eodem semper modo pronuntiantur. Dedi igitur quaerebam pro vulgato quaero, ut alibi te volebam et similia usurpantur ab eis, qui, quos quaesivere, inveniunt. cf. 503.

324. v. tibi iam non, sententia enervata: nam si tantum iam non dat, post fortasse dabit. cf. 364.

325. prehendit. Nostrum exstat in libris B C H et Gu. utroque. quod elegantius. vid. Phorm. 5, 6, 23. Ceterum codd. dare se, ut B, vel dare sese, ex int.

336. Matrona nulla. sic optime Gu. 1 et H. v. matronam nullam, minus vivide. Matrona intelligitur, quae curaret sponsae necessaria, quia viduus Chremes.

337. v. PAM. Scio. Magnum signum. Sed quid tandem se scire dicit Pamphilus? Et vide, quam bene quadret exultans illud Magnum signum tepido Non opinor, Dave. Imo gravissimo verbo Scio, i. e. certo scio, finit orationem servus, Magnum signum autem calidiori Charino tribuendum est.

350. Hic versus in vulgatis antecedenti male praeponitur.

351. Omnem, quod v. abest, in fine additur A et H, comparetque post culpam in Gu. 2, sicut fuit etiam in Lindenbrogiano, neque abest B et C. Rei pulcre convenit trochaïcus plenus.

354. v. eiiciat; sed codd. fere, etiam nostri A C H: eiciat τρισυλλάβως, more veterum, recte; modo reponas quoque cum Be. ac cito, i. e. ac cito quidem, ut est Plaut. Epid. 1, 1, 28. Similiter usurpantur ac lubens 309, Heaut. 711, ac lubenter Eun. 1031, ac memoriter ibid. 859. Eam et ac absorpta a syllabis antecedentibus.

364. v. — gnatam. nec tu etc. male: nam haec, ut causae et effectus, coniungenda sunt.

367. Fingit, sperare Pamphilum, si has nuptias recuset, nullam sibi aliam puellam in matrimonium datum iri; quod refellit Davus: nam patrem virginem inopem quaesiturum potius quam, ut ipse corrumpatur, permissurum esse.

370. v. Alia, et sic omnes, qui quidem innotuere, scripti; male nihilominus. Aliam, cum dote, inquit Be., non, ut 368, inopem, inveniet.

371. dubium id quidem. Ita, ne quis porro credat, auctoritate carere hanc lectionem, nostri MSS. praeter H omnes, haud dubie Faërniani quoque et Bentleiani, item edd. vett. v. autem male omittitur id.

372. Dicam, gravissimum verbum, non liquescit; pulcre. Sic Tandem 556, Multum 611, Parum 649, Quantam Heaut. 429.

373. v. Nam pollicitus sum suscepturum. D. O facinus audax, male acuto verbo pollicitus, occultatoque audax. O liquescit, ut passim, etiam in diphthongo, velut 846, Eun. 25, 248, Ad. 381, 423, Phorm. 225, 324. Ad hanc faciem refinxi etiam infra 737 et Hec. 321. Idem patitur I Hec. 556, 732, Adelph. 142, 828. Quae fere fiunt ex generali illa regula, de qua ad 68.

374. v. deserturum, intellecto me, quod hic quidem duriusculum. Verum servavit Mureti vetus codex, quem et Be. expressit.

380. v. apud te ut sies, frustra.

381. v. Modo ut possim, Dave, consentientibus quidem scriptis, sed invitis veteribus impressis libris, qui instar scriptorum merito habentur. Et mihi quidem subridiculum semper visum est illud Dave, servo statim reponente Pamphile, et quasi par pari referente. Quod cum omittant impressi, natum id puto ex nota, quae sequitur, personae.

396. v. nullane in re esse homini cuiquam fidem, prorsus inconcinne. Be., versui consulturus: n. in re esse cuiquam h. fidem, ut Eo totam primam regionem

expleret, verbis quidem nullane et cuiquam in thesi delitescentibus. Vide, an magis profecerim.

397. Gu. 2 istud.

398. Menander:

Φιλεῖ δ' ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα.

Similiter et Euripides Med. 86. Melius positum pro bene. vid. Ad. 613.

400. v. videre; putide. Sic Phorm. 778: Perliberalis visa est, cum vidi, mihi; itidemque Hec. 810: Perliberalis visa est. Frustra argutantur grammatici.

401. v. Si se illam in somnis; obscurato se pronomine. Illam subauditur.

402. v. pro hoc malo, ex int., exstincto quidem lusu verborum. Recte opponuntur inter se malum et malum, non hoc malum et malum. cf. Phorm. 506.

405. Significanter Simo: Quid Davus narrat, non: Quid tu narras? cf. 480, 919, Eun. 84, 220. Livius 1, 20: Sed quia in civitate bellicosa plures Romuli quam Numae similes reges putabat fore (Numa). —

Aeque quidquam nunc quidem. Intellige: ac paulo ante, scena praecedente, in qua nihil clare locutus erat Davus. Donatus, vel quisquis ille fuerit, vult, εὐφημισμὸν hunc esse antiquorum pro nihil.

408. v. Potin' es mihi verum dicere? D. nihil facilius, prima, ut monet Be., anapaesti syllaba Simonis, reliquis Davi, satis invenuste. Quare is quidem: Ego? nil facilius, ut Eun. 56. Sed verisimilius, in Potin' es erratum esse, ut p. vide supra ad 305. quo facto, te facile omittebatur.

409. v. quippiam hae sunt (codex Gu. 1 sunt hae, unde colligas, non ita certam esse sedem pronominis) n. Propter huiusce hospitae consuetudinem, prorsus inconcinne. Be. Pr. hospitaï h. c. sed displicent archaïsmi in Comico, cultiora quidem, sed tamen quotidiana, sectante, non obsoleta refovente ornatus causa. Et corripientem verbi propter priorem syllabam quis ferat? Imo verba P. h. h. c. sic ad aures accidunt ut capite truncatus iambicus senarius. cf. 419. Caute viam orationis ingrediens, et quasi praetentans, senex verba expendit, ne Davum, magisque Pamphilum, offendat in re difficili, et lente loquitur, acriter observans Davum. Hinc molestae quippiam dicit pro invisae (neque eliso verbo lenissimo quippiam, ut plene exaudiatur), hinc hospitae pro meretricis. Hospitae huiusce legit etiam Donatus. Ce τῷ huiusce adhaesit ex sequente verbo.

414. v. abest Sic, absorptum id a praecedente SI., quod genus vitii p. observatur in Comicis, velut et Aristophanis Lys. 256 alterum πολλὰ alteri offecit scribendumque est: Ἦ πολλὰ πόλλ' ἄελπτ' ἔ-ς' ἐν τῷ μ. β. φ. Sane quam multa valde insperata accidunt. Minus placet eii, quo versui succurrebat Be. Dum, quod in ictu est, non eliditur; quod nescientes verba male transposuere correctores.

416. Virum fortem. honestum, καλοκἀγαθὸν, quomodo et comis usurpatur antiquioribus. Plautus, quos pulchros vult describere, fortes vocat Bacch. 2, 2, 38. Mil. 4, 3, 13, 18: nam quaevis facile virtutes attribuuntur illis, quibus a specie commendatio est.

418. Aliquantum. Sic Gu. 1, quod metro aptius quam vulgatum aliquantulum. Be., versui consulturus, reponebat aliquantillum. Apud Priscianum p. 1208. Putsch. legitur aliquid.

419. 420. v. Nil propter hanc, sed est, quod succenset tibi. SI. Quidnam est? D. Puerile est. SI. Quid est? D. nihil, etc. scabris numeris et male collocato verbo puerile. Gu. 2: sed quod succenset tibi. Codex Bentleii Regius: Quid est? Puerile est. quidnam est. Vnde reponendum esse vidi Puerile quiddam est. Erasmus, scriptos haud dubie secutus, quid id est? ut sententia et versus postulant, monente Bentleio; quod et in B et C conspicitur, libro A exhibente quid est id?

422. Be., duos bonae notae libros secutus, edidit: est obsonatum decem, ut est Plauti Bacch. 2, 35. sed displicet homoeoteleutum.

432. Quid narras? vide Donati locum ad 448.

437. v. Bonum ingenium n. adolescentis. M. optumum. Bonum, ex 458 arcessitum, si locum hic haberet, certe sic non erat deproperandum. sed vide quam significantior sit ἀποσιώπησις illa, quam induximus. cf. 92.

438. v. mora illi sis, ex int. codd. nostri unanime sies.

440. v. Iam scio, pessime occultato verbo peregrina. Iam p. male additum deprehenditur.

446. v. commode. Sed quid hoc significat: haec non sat commode divisa tibi (i. e. abs te) sunt temporibus (i. e. in tempora)? Quin hoc vult senex, in tempus incommodum haec divisa fuisse illis peragenda.

448. v. Ego, quid narres, n., versu impedito. Abest ego Gu. 1. Donatus ad verba Ego, quid narres, nescio: Semper ita respondet Davus seni, tanquam

non intelligat, quid loquatur. — H narras, graeco more.

456. v. ego huc, duris numeris. omisit pronomen cod. A. Ceterum bacchiaci versus variis affectibus exprimendis inserviunt, gaudio etiam modico, ut hoc loco, vehementi, velut Hec. 793, amantium perturbationi, sed quibus non omnis spes ademta sit, velut Eun. 255, Ad. 497.

460. v. V. h. quis non credat, obscurato verbo hoc. male intellecto compendio pro quin scripserunt qui ne, qui non, deinde quis non.

467. v. I. s. ne faceres. num veritus? quid retulit? male collocato verbo veritus. Codex A veritus es? quid — i. e., ni fallor, veritus? ecquid. Certe sic reponendum puto. Interminatus absolute positum, ut Eun. 774, Plaut. Capt. 4, 2, 11.

468. Credon'. Sic passim praesens indicativi pro coniunctivo adhibetur vi futuri. cf. Eun. 383 et Vechneri hellenolex. p. 246. edit. Heusinger. Simile est dico Eun. 481.

475. v. narrare, claudicante versu. Be. Ego non te? Sed acuendum erat te.

476. v. Falso, affirmative; non recte. nec versus fert vulgatum hercle post itaque. Hoc et similia p. addere placuit librariis male feriatis.

479. Vt sis sciens. S. p. Noster, velut 745, et Plautus Poen. 5, 2, 78.

480. v. putide: hanc tuam esse.

488, 9. Priorem horum versuum v. finiunt verbo intellexeras, ut posterior sit trochaïcus tetrameter catalecticus; sed manifesta in his senariorum forma iambicorum. modo pro ais reponas aisti, quod agnoscit Probus. Insolentius verbum expulerunt grammatici. Be.: Quid ais? ubi intellexeras, sine auctoritate. Idem: consilium, ut plures MSS., etiam nostri.

495. Hunc inter et sequentem versum v. haec leguntur:

Atque haud scio, an, quae dixit, sint vera omnia. Scilicet febriculoso nescio cui grammatico parum recte Simo dici videbatur parvi pendere, quod a Davo ista omnia credere impulsus non fuisset, itaque verbis parvi pendo haec, puto, adscripsit: quod haud scio, an vera sint omnia, quae is dixit. quae postmodo in versus formam utcunque redacta sunt. verum et bene illa habent, nec ferendum est tam putidum interpretamentum.

499. v. Quid alias. Sinceram lectionem ex Acrone ad Horat. serm. 1, 4, 63 restituit Be.

500. id, quod v. abest, invenitur in A utroque Gu. et veteribus editionibus, estque ex usu Nostri. Transpositum id vexavit scribas, propter eaque expulsum est eiusque in locum est suffectum.

504. ad me adiere. sic Gronovius ad Plaut. Trucul. 2, 6, 21 ex suis membranis. quae forma antiquior et verior. v. abest ad.

525. Menander:

Ὀργὴ φιλούντων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον.

536. v. periclum, minus eleganter.

541. v. invenies, sed vetustiores nostri invenias. recte, ut prius restitueris. Be. Εὕροις ἄν.

546. Consiliis eorum. sic uterque Gu., recte: nam vox consiliis in thesi non est occultanda, nec pronomen tanti est, ut maximo accentu extollatur. v. tamen eorum consil.

562. v. audio. sed non terribilia tam audierat quam auditurus erat Davus. Menander, teste Donato: τί δήποτ' ἀκούσω: quare et iam olim lectum fuisse audiam, monet Grammaticus. Correxit Be.

564. Apparetur, intellecto sponsa. impersonaliter, ut Eun. 532. Sic recte Be., monens, ineptum esse vulgatum apparentur, quia Simonis in domo, non Chremis, parandae erant nuptiae.

571. v. iam perturbavi, non infrequenti lapsu.

577. illic scelus, i. e. ille scelus. Sic itidem 814 hic scelus. cf. Plaut. Bacch. 5, 1, 9, et scortum quis Poen. prol. 17. Comparantur Graeca τέκνον φίλε et similia. Sensorum in hisce ratio habetur, non grammaticae.

Hodie non tam diem, qui agitur, designat, quam nunc, ut saepenumero apud Nostrum, velut Eun. 565 Phorm. 811, et Plautum, more Graecorum, qui sic ἐφ' ἡμέραν usurpant. vid. Sophocl. Trach. 1091.

578. v. consili sum. Sed languet sum oneratque versum, a Be. restitutum. Saepe autem esse omittitur et Plauto et Terentio, Graecos imitatis. vidd. Musgrav. ad Eurip. Hel. 1539. Plaut. Merc. 2, 3, 51, Rud. 2, 4, 32, Noster infra 591, 672, 694, 721, ubi nihil opus scribi meritu's, forti's, incepturu's, pro meritus es, fortis es, incepturus es, ut Bentleio placet, neque ultimo loco codicum lectio dicturan' mutanda est. Omisso igitur sum, quod abest Gu. 2, versus iam est troch. tetram. catal., rite sequens eiusdem generis

octonarium, transitumque muniens ad iambicum: nam talem esse sequentem versum, scribendumque servone pro servon', verbum fortunas ostendit, alioquin prorsus obscuratum. vide etiam ad Eun. 652.

580 v. Ego pretium. sed languet pronomen.

584. v. atque id ago, minus bene.

587. v. miserum. sed se miserum queri, tam irato minus convenit. misere, i. e. pessime. vid. ad 855.

588. codd. A B uterque Gu. et H hoc exhibent pro oh. Sed nil muto.

593. Cum. Cur, quod praeferunt unus Bentleii liber, nostri A B Gu. 2 H, non mihi magis recipiendum videtur quam Anglo erudito.

599. v. Idne est verum? imo id est genus hominum pessimum, In denegando modo quis pudor paululum adest. Codex Petrensis paulum; recte. Purissimi sunt hi cretici: quare et h. l. omisi prius est, dedique ab incommodis pro eo, quod v. obtinet, ex incommodis, et tempu' pro tempus, ne molossos haberemus pro genuino pede; quam licentiam sane ferrem in Latino poëta, si plura eius usurpatae exempla hic exstarent. A et ex praepositiones etiam alibi inter se permutatae sunt, velut Eun. 910. Scripsi autem vero pro verum, quod qua potestate accipiendum sit, non video, nisi verum genus hominum, i. e. veros homines, interpreteris, quod frigidiusculum. Vero, ἐτεὸν, iram, exprimit vel ironiam. cf. 887, Eun. 747. Aristophanes Equ. 743: Σὺ δ' εἶ τίς ἐτεόν; quis tu vero es? quis mihi es? Quomodo et autem usurpatur, velut Eun. 742. Negat Charinus, tales, qualem Pamphilus se praebuerit, esse homines, et si sint, pessimos esse ait: Idne vero hominum genus est? (quasi dicas: sind das auch Menschen?) imo id pessimum est. S. p. homo ἐμφατικῶς. vid. ad Eun. 409. Adhiberi autem solet metrum creticum in trepidis desperatisque rebus. cf. Ad. 587.

606. v. ubi fides, minus quidem graviter et metro refragante.

609. v. et cum eo. Codex Gu. 2 ut cum eo. neutrum horum mihi videtur genuinum; aut vere Terentianum est.

610. v. atque; sed vett. edd. atqui, quod melius.

611. v. seorsim ponitur multum, tanquam subaudito Promoveo. sed Gu. 1 recte sequentia adiungit. Alter quoque Gu. Multo molestus etc.

619. v. ah nescis. sed codex A ahah, quod ah an

'fuisse puto. sic quoque iambicus versus restituitur, qualis est sequens: nam in eodem colo, et eodem affectu pertinente, variari metrum, nulla causa est.

626. v. hae. sed cod. C plane haec, antique et vere. sic etiam Be. ex Donato.

629. v. Scio equidem, ex int. Legitur quoque illam ducturum esse te; sed arsi gaudere debet ducturum.

633. v. CH. Q. h. ist.? P. Davus. CH. Davus? P. Interturbat (omnia addunt codd. A et Gu. 1, aliique teste Be., quod adscriptum, postquam sedem legitimam mutasset suam vox interturbat). CH. Quamobrem etc. Be. hic delet interturbat, quasi glossema, et versu sequente satis et scio; sed rei convenit, vehementius inferri metrum.

635. Gu. 1 Factum hoc est a te, Dave? ex int.

648. v. spem evenit, mihi ignoscere, male elisis verbis tuum et spem. Pronuntiatum esse praeter spem, monuimus ad 667. Evenit interpretantis. Te non est inelegans. Plautus Stich. 5, 4, 36:

Haut tuum istuc te vererier. eripe ore tibias.

s. enim ibi legendum, non, ut v., vereri. eripe ex ore.

652. v. Faciam. — hem. st, mane: concrepuit a Glycerio ostium; nullis numeris. Sed, non st, codd. propemodum omnes. A Glycerio glossema est, reponendumque faciemus, graviter, ut adgrediemur 640. Hem quasi mirantis est novum consilium, quod sibi reperisse videtur, quo statim contemto aliud denuo quaerere se dicit.

De foribus extrorsum aperiri solitis propterea que percussis ab exeunte, ne quis laederetur, vidd. Lindenbrog ad h. l. et Muret. Var. Lect. 1, 17.

657. v. quid est? quod saepissime invectum deprehenditur pro quid id est? Certe hoc neque per se ineptum, et requiritur a versu. Be., Erasmum secutus, opportune dedit pro optume, delevitque τὸ quid est? Sed asperior haec medicina, et friget opportune prae vulgato optume. Accedit, quod verbo integro finire Noster soleat horum iambicorum pedem quartum: nam rarissime apud eum versus eiusmodi reperiuntur tales, quales sunt Eun. 225, 238.

662. Non absimile est illud ex Menandri Perinthia, laudatum Suidae v. ἀβέλτερος: Ἐπαβελτερώσας τὸν τὸ πρόσθ' ἀβέλτερον.

667. Acuitur praepositionis syllaba posterior propter encliticum sequens. sic Noster ád me Phorm. 2, ergá te infra 790, ín se Eun. 12, intér eos infra 822:

unde et Hec. 668 scripsi intér nos hanc; pér quem Phorm. prol. 29; porro omnés nos infra 916, gnató meo Heaut. 377, Syrús meus ibid. 845, miserám me Eun. 36, Omném rem Ad. 338, Hec. 137, ipsá re Heaut. 214, nullús sum Eun. 967, obnoxiús sum Hec. 245, cognatús fuit infra 896, natús sum Heaut. 369, fáctae essent Hec. 232, mé 'sse Ph. 34, erát res Eun. 52, nuntiét rem Phorm. 144, intús sit Eun. 560, tantispér me Heaut. 95, istíc sum Hec. 57. Frequentiore usu verba etiam graviora, in his ius et spes, depreperata fuere haud aliter ac mera enclitica; unde est, quod legimus ín ius Phorm. 899, dé spe Heaut. 198, praetér spem supra 407 Phorm. 1009.

673. v. Scio, quid conere, ex int. C. conaris, ex usu graeco. Be. si quid conere, praeter necessitatem. Ironice haec Pamphilus, et usurpatur in hoc genere Scio. vid. 623, 627, 808. Similia sunt Audio 522, Censeo Eun. 169, Credo Eun. 417, Satis credo 643.

675. v. dies hic mi ut satis sit v., ex int., asperrimis quidem numeris.

683. v. quid veniam? nil habeo.

686. Menander:

Βέβαιον οὐδὲν ἐν βίῳ δόκει, τάλαν.

Diphilus:

Βέβαιον οὐδέν ἐστιν ἐν θνητῶν βίῳ.

Quod imitatur Lucilius apud Nonium:

Nilne esse in vita proprium mortali datum!

sic enim haec loca, suggesta a Lindenbrogio, legenda puto. quorum primo, quem frustra quaeras in Clerici collectione, quod vulgo fertur δοκεῖ πέλειν supra soccum exsurgit debeturque sine dubio librariis. cf. 930.

696. ex ara. aram intellige vel bonae Deae, cuius in honorem ludi fierent, vel Bacchi, quae iuxta orchestram exstructa erat, sertis virentibusque ramis decorata.

697. v. Atque eas, minus bene.

698. v. quia, pessime.

703. v. Repudio quod con. prim. intenderam, male acuto verbo Repudio, sequentibusque 3 verbis M litera finitis, quod vitare solet Noster.

712. v. tun' app. hunc? ex int. Apposuisti τετρασυλλάβως pronuntiandum, literis ui contractis.

715. v. quid illic hom. lit., ex int., occultato quidem verbo forum.

723. v. Praeterquam, invitis fere omnibus MSS. Praetereaquam, inquit Be., i. e. praeterquam, ut Postea-

quam

quam postquam. Mutarunt hoc, ut alia, magistelli, ne discipuli vetuste loqui discerent.

724. v. dic clare, ex int., vetante quidem versu.

737. v. O facinus animadvertendum. S. p. versibus opituleris, velut et Apuleii apologia secunda non praeponenda τῷ praecoci vox puerulos, ut v. quidem fit, sed legendum:

Odi praecoci puerulos sapientia.

vid. ad 373. Quid semel ponere satis habuerunt monachi, vitii genere frequenti.

738. Gu. 1 perferri.

739. Cantharum. anum quandam.

De more liberos exponendi, quos natos nollent, docte ad h. l. Lindenbrog.

740. v. gratias, refragantibus duobus Bentleii libris, nostro B, et verisimile est, obliteratam fuisse formam insolentiorem.

741. liberae. quarum testimoniis vinceretur servus.

757. Gu. 1 et H illudere.

761. ex pluribus quidem libris qui sciam Be. reponebat, sed hoc esset nescire se fatentis cupientisque edoceri, non contemnentis, quod hic requiritur.

764. Be. pro Paulum posuit Hilum, ut Lucret. 3, 881. Sed sic etiam alibi Noster, velut. Eun. 630.

765. v. Vt fert natura, tritum verborum ordinem sectantibus librariis. Extollendum natura.

766. Graeca loquendi forma.

767. Menander:

Πενίαν τ' ἄλυπον μᾶλλον ἢ πλοῦτον πικρόν.

Antiphanes:

Καλῶς πένεσθαι μᾶλλον ἢ πλουτεῖν κακῶς.

771. v. Estne hic Crito, sobrinus Chrysidis, versu, ex Faërni Bentleiique doctrina, vitioso: nam similes qui videntur, qualis est 688, non sunt, sed hephthemimerin eleganter usurpant pro penthemimeri, suntque igitur ita accipiendi ut 110, 705. Codd. nostri C et H consobrinus, recte. Facile hicreco transiit in hiccrito. Mirum autem est, quantum vel male legendo vel prave iungendo disiungendove vocabula syllabasque turbarint librarii. Cuius rei passim apud hunc et Latinos exempla est videre, e quibus unum commemorasse hoc loco satis habeo, Phaedri lib. 3 prol. 22, ubi vulgo legitur: Et laude invita in hanc vitam incubuerim, cum reponendum sit, me iudice:

Et laude invitante hanc in vitam incubuerim.

sed alia bene multa ex nobilissimo Graecorum pari

nunc proferam, Herodoto et Aristophane. Nam quod Herodoti histor. 2, 175. primo legitur, οἱ, post θωϋμάσια, ex antecedente syllaba natum est. Eiusdem 3, 109. extremo compendia verborum ἢ et καὶ inter se commutata sunt, cumque καὶ κατὰ τοῦτο praebeat codex Arch. apud Wesselingium, haud cunctanter reponendum: καὶ οὐδαμῇ ἄλλῃ ἢ κατὰ τοῦτο etc.: et nusquam alibi nisi illic (in Arabia) videntur frequentes esse. 5, 43., cum oracula nusquam memorentur Laii, reposuerim ἐκ παλαιῶν χρησμῶν: quia nimirum ab antiquitate commendari solent oracula. Sequente capite extremo pessime legitur ταῦτα δὲ οὐκ οὗτοι λέγουσι pro eo, quod rescribendum censeo: τ. δὲ οἰκότα λέγ. haec probabiliter narrant: nam magis Crotoniatorum narrationi tribuere historicum, ex sequentibus intelligas. Eiusdem libri 92, 2. primo legam potius: καὶ οἵ τοι Βακχιάδαι: nam sic passim τοι usurpatur post articulum. vid. 8, 141. Aeschyl. Sept. 332. 6, 66. primo leg. ἐόντων περὶ αὐτὰ νεικέων: siquidem et ambigua sunt et κακόφωνα vulgata ista ἐ. π. αὐτίων νεικέων. 6, 86, 1, a vero non longe haec aberunt: καὶ δή, ὅτι χρήματα οὐδαμᾶ σοὺς αὐτοὺς ἐστι ὁρᾷν ἔχοντας. 7, 5. legere suadeo: φόβον ἐμβάλῃ ἄβροντον: nam et bis iam tonitru habuimus, et, si tale quid in causa est, falso nimirum aliud probatum ierat orator, saepe magnum exercitum parvo succumbere incusso metu. φόβος ἄβροντος, metus absque tonitribus, ut ἄρδις ἄπυρος, πῦρ ἀνήφαιστος, apud Aeschylum et Euripidem. 7, 139. circa finem viros doctos nondum reposuisse miror ταύτῃ ῥίψειν ἔμελλε, intell. τὰ πρήγματα. 7, 141. versu oraculi 3 leg. ἀδάμαντι πεδήσας, adamante vinciens, i. e. firmans. 8, 73. finem versus, recepta Valkenarii correctione, ἐκδεδωρίενται, totum eum locum restituere mihi videor legendo: οἱ δὲ Κυνούριοι αὐτόχθονες ἐόντες δοκέουσι μὲν ἂν ἐξ αἰῶνος· ἐκδεδωρίενται δὲ ὑπὸ τῶν Ἀργείων ἀρχόμενοι, καίτοι χρόνῳ ἐόντως, ὡς καὶ Ὀρνεῆται περίοικοι. Quod supra dederat, αὐτόχθονα ἐόντα, fortius hic effert addito ἐξ αἰῶνος, sicut solent in repetitionibus auctores eloquentes. Ionibus hic nihil debetur tum alias ob causas, tum vero quod qui αὐτόχθονες sunt Peloponnesii, peregrini nimirum esse nequeunt. Ceterum sero linguam et instituta sua deseruisse dicuntur Cynurii et Orneatae. 8, 90. extremo leg. Πέρσης, ἀσπαίρων τούτου etc. intellecto ἕνεκα. ἀσπαίρων τούτου, obnitens hac de re. vid. 9, 5. ibique Valkenarius. Similis sequenti syllaba ης in Πέρσης neglecta fuit a librario. 8, 102. pro ἐκείνων τῶν πρηγμάτων confidenter rescribito ἱκανῶν τ. π. 9, 21. vel 22. (si caput huius

libri 16 pro genuino habes, quod mihi quidem maxime ad similitudinem Polymniae capitum 45. 46. adumbratum videtur vel a sophista, vel potius a nescio quo Thersandri eiusque familiae studioso), extremo igitur eo capite leg. αὐτίκα ἀπώθησαν, intellecto τȣ̃το, ὥς σφεας οὐδεὶς ἦν (vel rectius εἴη) ὁ τάσσων: reiiciebant rumorem, periisse ducem. sic ἀπωθεῖν passim adhibetur, velut Sophoclis Oed. Tyr. 234. 9, 57. vox συνηδέαται, vel συνηδέατε, ut est in Parisino B, crucem fixit interpretibus. Verum puto συνεθέετε, consuescitis. Alibi fortasse non lectum vocabulum a συνήθης eadem via venit, qua ἀηθέω ab ἀήθης. Iamque ad Aristophanem transeamus. Cuius Pacis 198 verba ἰδȣ̀ γῆς vereor ut sana sint, neque ad quietem me dant inttpp. legendum censeo ἰδίᾳ γῆς, seorsim a terra. Eiusdem fabulae 214 non Ἀττικίων, sed scribendum est ὡττικίων, ut sexcenties apud hunc periit articulus, non ubique advertentibus editoribus. 241 circa verba ὁ κατὰ τοῖν σκελοῖν merito trepidat Florens Christianus. Brunckio supplendum videbatur ἑστὼς, βεβηκὼς, vel quiddam simile. scilicet κατὰ τοῖν σκελοῖν omnes stamus imusque. quanquam pro arbitrio vertit vir calidior: ille divaricatis cruribus firmans gradum. Quodsi ad me res deferatur, suadeo legamus: ὃς κάκ' ἀποσκλέοι. Hesych. ἀποσκλέοι, ἀποθάνοι. κακὰ, κακῶς. 316 cum καὶ potestatem hic suam non obtineat, reposuerim 'κείνην pro καὶ νῦν, iotacismum turbasse arbitratus. gravissime dictum ἐκείνην αὐτήν. 340 inepte legitur πλεῖν, μένειν pro eo quod restituendum censeo, πλημμελεῖν, immoderate vos gerere, iuvenari. 391 scribendo:

Μὴ παλίκοτος γένη ἀντιβολίαισί μοι,

paeonicum restitueris, qualis est ἀντίστοιχος. lenior certe aliorum medicinis haec ratio. 478, ubi v. ἢ κατεγέλων, poëtam dedisse reor ἐγκατεγέλων, intus risere, ils riaient sous cape. 606 nec probi sunt numeri, neque αὐτῆς convenit. Reponebam equidem:

Πρῶτα μὲν γὰρ ἦρξεν ἄτης Φειδίας πράξας κακῶς.

679 legendo ὑποβολιμαῖος — τῶν ὅπλων ἐγίγνετο iocum restitueris, ut τὸ ὑποβ. simul proprie intelligatur, cum supposititium puerum significat, et figurate, cum opponitur τῷ γνησίῳ. in ὅπλων subaudi ἕνεκα. Vt nunc lectio se habet,

Tristis severitas in voltu inest et in verbis fides.

734 lego: ἣν ἔχομεν ὁδὸν λόγȣ ε., χὤσα θ' ὁ νȣ̃ς αὐτὸς ἐπεῖ γε: rationem operis et quae ipsa eius mens sit, quis scopus, declarabimus. 842 recte Br. ταύτα pro vulgato

ταῦτα. sed σὺ retinendum est legendumque, prout est in Rav.: ἐκ τὐρανῦ. 1111 idem liber exhibet προδιδόναι, quod primitus fuisse puto πρῷ διδόναι, praemature dare. v. minus eleganter. πρὶν δ. 1134 ἐκπεπιεσμένα cum nec sententiae sit utile et versum pessumdet, creticum eum quidem, quod ostendit ἀντίστοιχος 1165, vestigia secutus libri Ravenn., qui praebet ἐκπεπρισμένα, deficiente syllaba, reponam ἐκπεπρεμνισμένων. 1162 sane recipienda illius libri lectio φύσει: nam φύει itidem inconcinnum, uti et, quod statim sequitur, οἰδαίνοντα, pro quo leges οἰδάνοντα, 1175 verisimilius mihi videtur κλυζικηνικὸν a κλύζω, clystere purgo. 1294 malim πραγματεύσεις, negotium exhibebis, molestus eris. Pluti 505 edit. Italicae παῦσαι commutatum est, ut p., cum πᾶσι, legendumque, nisi fallor:

Οὐκ οὖν εἶναί φημ' ἂν πᾶσιν ταῦτ', ἢν βλέψαι ποθ' ὁ Πλοῦτος,
Ὁδὸν ἥντιν' ἰὼν τοῖς ἀνθρώποις ἀγάθ' ἂν μείζω πορίσειεν.

πᾶσι, παντελῶς, ut Sophocl. Oed. Tyr. 40, ubi vid. Musgrav. Ibidem 1132 non ὀδύνη, sed poscit sibi sententia ὀδμή, quod explicavit scholiasta πνεῦμα. Dein repone σέ πως τὰ etc.: nam ἐπιστρέφειν πρὸς τὰ σπλάγχνα nihili est locutio. Nidor intestinorum, cupide haustus, tormina incutere dicitur Mercurio, manus quippe iactanti aliisque gestibus scurrilibus cupidinem significanti istarum dapum. Ibidem 1177 legito:

Ἡ δ' αἰτία τίς ἐστιν ὡς πρὸς τοῦ θεοῦ;

quid vero hoc ad deum? Nubium 262 pro καταπαττόμενος reponendum arbitror καταπαιόμενος, bene mulcatus. Male ominato usus verbo senex admonetur a Socrate: Εὐφημεῖν χρή. 277 et sententia et versus exosculatur Pindaricum εὐαίνητον vel εὐαίνητοι, laudatissimae. Magni hic fit humor. Vulgata δροσερὰν φύσιν εὐάγητοι Brunckius vertit: roscida natura agiles. Haud vidi magis. 329 pro καὶ σκιὰν reposuerim καυστικόν. δρόσον καυστικὸν, rorem cremabilem, ridicule de fulmine, quod saepius meticuloso obversatur senis animo. 557 verum hoc credo: Εἶθ' Ἕρμιππος εὐθὺ πεποίηκεν εἰς Ὑπέρβολον. 1329 legendum haud dubie — ἀντιλέγειν· ἢ ταῦτά γε — νεῖον; an hoc persuadere cupis, recte a filiis verberari patres? Ranarum 81 legam Κ' ὀξύ γ' ἀποδρ. δ., ἐπ. σοὶ, totamque ῥῆσιν istam κάλλως — ἐκεῖ non Baccho tribuendam censeo, sed Herculi. 146 leg. uno ductu ἀείνων, ἀείναον. 350 aut cum Dawesio legendum ἀτῶν pro ἐτῶν, aut mecum ἐτερῶν, i. e. κακῶν. sic Sophocles Oed. Col. 1417 ἔτερα τάδε. cf. Valken. diatr. Eurip. 112. 726 εἰδὼς versum intrare nequit. vicinum est δοὺς, concedens,

ipse persuasum habens, se esse scelestissimum. 829 leg. εἵνεκά γ' ὀξυλάλε (propter facundiam) περιδεῆ Θήγοντος ὀδόντα Ἀντιτέχνε. et mox ταραξίνοα α ταραξίνες pro παραξόνια, quod vereor ut locum habere possit. 868 satius est reponi πρὸς ὀργῆς, ex indole tua: nam idem sonarent πρὸς ὀργὴν et κότῳ, a quo vitio liber Aristophanes. 924 insulse adhuc habetur in libris ἐπὶ τε δαΐαν ὁδόν. Tu tolle glossema et lege:

Καὶ μὴν ἡμεῖς ἐπιθυμεῦμεν,
Παρὰ σοφοῖν ἀνδροῖν ἀκεῦσαί τινα
Λόγων ἐμμέλειαν ἐπιτηδείαν.
Γλῶσσα etc.

1055 frustra sudant quicquid est grammaticorum: nam Δαρεῖος τεθνεώς, notissima figura, eversam regis potentiam concisasque opes significat, quae perpetua Persarum in cognomine dramate querela. ceterum ἡνίκ' ἀνήκεσ' ἂν περὶ Δ. τ. legendum est. 1071 leg. Οὐδ' εἰδὼς ἥντιν' ἐρῶσαν ἐγὼ π. ἐ. γ. 1074 inepte libri: τέτό γέ τοι δὴ pro eo, quod reponendum censeo: τἔτό γ' ἐτὸν δὴ, hoc sane verum. ad quam faciem et Avium 600 lego: — ἴσασ'· ὃ λέγεσί γ' ἐτὸν ταδε πάντες: quamobrem et hoc vere omnes dicunt. 1204 rescripserim: οὐ χάρμη 'ςὶν, ἀλλ' etc.: voluptas non est audire tuos prologos, verumtamen etc. 1333 neque αὕτη neque αὐτὴ recte habet, sed scribendum est: ποῦ 'ςιν ἡ τοῖς ὀςράκοις Αὑτῆ κροτεῦσα; ubi est illa, quae testulis sibimet ipsa plaudit? 1475 qui nimio impetu, pro more suo, in Berglerum invehitur, ipse tamen locum non sanat Brunckius: siquidem ex eius ratione nescias, quem sustollere dicantur aurae. Lego:

Εἴ τις πτερώσας Κλεόκριτον Κινησία
Ἄραιτ' ἐν αὔρᾳ πελαγίαν ὑπὲρ πλάκα.

ἐν αὔρᾳ pro εἰς αὔραν. Avium 16 ν et σ literarum commutatione frequentissima legitur ἐκ τῶν ὀρνέων pro ἐκτὸς ὀρνέων. Facete Tereus dicitur ὄρνις γένεσθαι ἐκτός ὀρνέων, i. e. ales factus absque alitum interventu, praeterque naturam ea forma praeditus. Cuius fabulae ad versum 941 quae leguntur in scholiis, item depravata sunt, librario scribente inter alia, proclivi lapsu, ΝΟΜΑΔΕΣΣΙ (Ravennas liber etiam μομάδεσσι in Aristophanis hoc loco) pro ἉΡΜΑΤΕΣΣΙ, Στράτων pro ςρατὸς, Ἁρμώδιον, quod longe ineptissimum, pro ἁρμάτιον. Verba hominis locusque Pindari sic se habent: Καὶ ταῦτα παρὰ τὰ ἐκ Πινδάρε. ἔχει δὲ ἔτως·

Ἁρμάτεσσι γὰρ ἐν Σκύθαις
Ἀλᾶται ςρατός· ὃς δ' ἁμα-

ξηφόρητον οὐ πέπαται
Οἶκον, ἀκλεὴς ἔβα.

Ὁ δὲ λαβὼν ἡμιόνους παρ' Ἱέρωνος, καὶ ᾔτει αὐτὸν καὶ ἁρμάτιον. Aristophanes quidem curribus nihil utebatur, apud quem proinde recte legi arbitror Νομάδεσσι, neque ibi τὸ Στράτων sollicito, nomen id poëtae malesani. Pindari versus in sequentibus declarat scholiasta. quorum 3 priores sunt glyconei, ultimus troch. dim. catal. Ἁρμάτιον Brunckius aut ex ingenio reposuisse aut invenisse alicubi videtur in scholiis. S. p. quae veterum poëtarum ibi leguntur reliquiae solito etiam sunt corruptiores, velut isto loco facetissimo, qui laudatur ad Equit. 523 insulse adhuc legitur τῶν ἰπῶν τῶν ῥευμάτων. scribendum:

Ἄναξ Ἄπολλον, τῶν ἐπιόντων ῥημάτων
Καταχῶσι πηγαὶ, δωδεκάκρουνον στόμα,
Ἴλισσος ἐν φάρυγγι! τί ἂν εἴποιμί σοι;
Εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τὶς αὐτοῦ τὸ στόμα,
Ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασι.

Aristophanes sic deridebatur in Cratini Πυτίνῃ. Sed pergamus. Comicus mox:

Νιφόβολα πεδία πολύπορά τ' ἤλυθον,

non πολύσπορα, ut v., quod ineptum. vid. Schol. versus est dochmaïcus. 1009 leg. ὤνθρωπος Θαλῆς: hic homo Thales quidam est. Dein ad Metonem conversus Pisthetaerus infit Μέτων... 1066 non ἐφεζόμενα καρπὸν ἀπεβόσκεται, sed legendum est ἐφεζόμεν' ἄκαρπον ἀπ. i. e. ἀκάρπως ἀπ., frustra devorat. purus putus hic paeonicus tetram., ut antecedens. 1078 versus sibi poscit ἣν δὲ ζῶντ' ἂν ἀγάγῃ. 1096 legam: θάλπεσι μεσημβρινὸς ὑφ' ἡλιομανὴς βοᾷ, i. e. ὑποβοᾷ ἡλ. κ. τ. λ. Bisetus ὑφηλιομανής. 1115 reponendum metri causa μῆν' ἔχῃ. μὴν et aliis luna. 1123 repone ὤρχων pro Ἄρχων, et mox ἑκατοντάγυιον, i. e. ἑκατόγγυιον, pro ἑκατοντοργυιον, quod versus respuit. 1214 ut evitetur ταυτολεξία, reponamus: οὐδ' ἀσυμβόλῳ ἐπίβαλεν etc.: ac tessera te carentem nemo praefectorum corripuit seu comprehendit? 1330 πτερῶν scriptum pro πτερύγων, quod versus expetit. cf. strophicum ταχὺ — πόλιν. 1345 uno ductu reponendum ἔποιδμα. 1570 dedisse puto Comicum πρὸς τὸ λεῖγμα τῆς καμήλου, ad lambendum camelum, i. e. cameli sanguinem, pro more umbrarum; ridicule. 1608 non de nihilo esse arbitror ἀπαιτεῖν, Ravennatis libri lectionem, sed natam ex ἀπειπεῖν, legendumque: Τόν τοι Δί' ἀπειπεῖν. ἀποδοῦναι ex 1633 arcessitum videtur ab interprete. 1686 rescribendum, ut mea fert opinio: — λέγει. Εἰκῇ φατίζει γ', ὥσπερ αἱ χ.: temere blaterat, sicut hirundines.

1715 v. habetur in libris: οἷος οὔτε παμφαὴς ἀστὴρ ἰδεῖν ἔλαμψεν. Tu corriges:

Προσέρχεται γὰρ οἷον οὔτε παμφαὲς
Ἀστηρίδιον ἔλαμψε χρυσαυγεῖ δόμῳ.

climax haec est, opponiturque soli stellula, fulgori maiori minor. Nimia patientia eiusmodi etiam mendas tulerunt editores. Claudo dissertatiunculam hanc de lapsibus librariorum luculentissimo rei exemplo, quod item praebet Comicus Equit. 327.

Non vitiosus is, est versiculus vitium.

ibi enim cum v. habeantur talia:

Πρῶτος ὤν; ὁ δ' Ἱπποδάμου λείβεται θεώμενος.

legendum tum sententiae tum metri causa:

— Πρῶπτος ὤν; ὁ δ' Ἱπποδαπάνου λείπεται θοινώμενος.

Manifesto furari dicitur ὁ ἀναιδής. neque illepide, pro more suo, verbis Ἱππόδαμος et Ἱπποδάπανος ludit poëta. Τὸ Ἵππος significatum auget, sicut p. Schóliasta ex nostra correctione: Ὁ Ἱπποδάμου υἱὸς λείπεται καὶ ἡττᾶται. διεβάλλετο γὰρ ἐπὶ πολυφαγίᾳ ὁ Ἱπποδάμου.

775. Sic apud Zenobium:

Ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.

cf. Erasmi adag. ed. Rob. Steph. p. 270.

777. v. An nondum etiam? Sed iam scit Crito ex responso ancillae, parentes nondum reperisse Glycerium, quod et sequentia demonstrant. Ceterum Be. ex nonnullis Codd. attuli pro adpuli, minus eloquenter, cum statim sequatur tetulissem pedem.

779. v. Semper enim dicta est eius haec. Sequor Be.: nam gravior, ipso admonente, sensus est per asyndeta, sublato enim. De ei vid. Heaut. 218.

792. v. obsequi, m. l.

802. v. incepi; sed male concordant fortia illa Perpulisti ut filiam darem, cum tepido Incepi. Impetrasti valet perfecisti. Plautus Poen. 5, 2, 14:

Incipere multo est quam impetrare facilius.

808. Ac. Ita, seu potius Atque, codex C; recte. s. alibi ac lubens, ac lubenter, etc. vid. ad 354. v. at, minus bene.

811. v. quid tibi. Be. qui tibi.

814. scelus hic. vid. ad 577.

816. Gu. 1 Eho, noster Ch.

818. abest. i. e. deest. cf. Plaut. Epid. 1, 1, 25, Stich. 5, 4, 29.

824. O here. Vulgo pro hoc legitur Chreme; sed causa non est, cur Chremetem, qui eum irridet nec rem curat, alloquatur Davus potius quam herum, co-

gnoscere, quid agatur, cupientem. Accedit, quod nec versus fert Chreme, cuius posterior syllaba producitur.

825. Ellum. i. e. eccillum, quod in ecc'lum, mox in ellum, quotidianus paulatim mutavit usus. Advertendum autem, hoc fere in absentibus usurpari, vel in iis certe, qui non prope absint. Vid. Ad. 234, 363, Plaut. Curcul. 2, 2, 28. quomodo et eccum adhibetur interdum, ut Plaut. Amphitr. Prol. 120. cf. Gruter. ad Mil. glor. 191.

828. v. nil equidem, vitio frequenti. certe vim suam equidem hic non obtinet, versum exasperat.

831. Sublimem, i. e. manibus correptum et ablatum.

834. Commotum reddam. i. e. commovebo, vexabo, sollicitabo. sic supra 427 commovi. H commonitum.

835. quadrupedem constringito, i. e. manibus pedibusque colligatis, ut quasi quadrupedem efficias, ut ait bonus Eugraphius. Vsitata haec Graecis et Romanis servorum poena. cf. Phorm. 186, Matthaei evangel. 22, 13. Graecis audit κυφωνισμός.

839. v. post gnati interpungitur, minus bene. cf. Heaut. 697.

848. v. Num eius color, obscurata voce color. C sequente versu Adeon' enim. hoc enim hinc, ni fallor, excidit.

855. istuc verbum. i. e. miserum 852. Lusus verborum est: nam infelicem intelligit Pamphilus, malum Simo, ut saepius valent miser, infelix, Graecorumque δύστηνος, μέλεος et similia. Vid. Ruhnken epist. crit. p. 139. Eun. 23, 529, Heaut. 313, 473, Phorm. 391.

864. v. Tamen, omisso at. sequimur codd. A et C, quibus et alii concinunt vetustiores. lectionem spernit immerito Be.

879. paratus, i. e. subornatus. Donat. (

891. v. tuum malum. sed malumne est amor Pamphili et Glycerii mutuus? et haec dicat Crito, utriusque amicissimus? scribo tua, i. e. tuas res vel fortunas, quomodo adhiberi solent meum, tuum, suum, cum opes, officia, mores, cogitationes, et quicquid nostri vel aliorum est, significamus. Noster Heaut. 731: Ita tu istaec tua misceto, ne me admisceas. infra autem 945, in tuis secundis, intellecto verbo rebus. Malum sic passim, ut Eun. 724.

895. v. primum, cumulatis homoeoteleutis.

897. v. — ex illo, sese esse Atticum. sed B C Gu. 1: civem esse Att., H: Att. civem. Recte: Atti-

cum illum esse, statim certior factus erat Crito eiusque cognati; post comperit, esse civem Atticum. Pronomina p. omittuntur.

898. nomen? tam cito. v. haec omnia interrogative accipiunt; non recte: nam elliptice haec dicuntur. Sic Plaut. Men. 2, 3, 36: bene vocas; tam gratia est. i. e. tam gratia est, quam potest, maxima. cf. Poen. 2. 4, 23, Stich. 3, 2, 18. Plene alibi Comicus, ut Mil. 2, 5, 47: tam ea est, quam potis, Nostra herilis concubina. ad quam faciem nostra sic interpretaberis: nomen scire cupis? dicam tibi tam cito, quam fieri potest, i. e. celerrime. v. quoque Phania, plene exaudito verbo, minus comice. interrumpit Critonis orationem cupidus senex.

901. v. alii in Andro tum aud., ex int., quod metrum arguit.

903. v.: CR. quid ais? S. quid tu ais? haud pro Terentiana eloquentia. Codex C: tu ais hem. Absorpsit Ehem similem, quae antecedebat, syllabam. Autem indignantis est. vid. Eun. 742, Ad. 159. fidem enim Critoni nondum habet Simo, sed in ira perstat.

906. v. Tum illam rel. hic est veritus, versu impedito. Be. T. ill. hic rel. v. est, haud pulcre collocatis verbis rel. veritus. Pronomina et hic confusa.

909. v. istam, minus apte ad versum. Pessime vero verba Credo pater uni Pamphilo tribuuntur. Interpellatur adolescens, iam nunc ea dicturus, quae 917.

919. De — Chremes. Haec v. affirmative accipiunt; male; quod ostendit Chremis responsio: causa optuma est, quae honesta concedendi formula, ut et, quod mox legitur, Scilicet.

920. Male Nempe vel Nempe id Pamphilo tribuitur, siquidem confidentis esset, pro patre affirmare. Gu. 1: PA. N. nil. SI. Id sc., ex int.

925. Iocatur Simo ex ambiguo verbi Recte. Be.

928. v. putare, m. l.: nam statim hic sequi trochaïcos, paucis placebit, cum praesertim ista ratione verba gravissima Deorum (legitur autem v. Ego deorum), voluptates, propriae, obscurentur. Deputare passim Noster, et quin saepius id verbum nunc legatur, culpa interpolatorum est et grammaticorum, trita sectantium. Ceterum optime Be. liquet pro vulgato lubet. liquet mihi, ait, h. e. constat, patet, ut Eun. 280.

930. propriae. perpetuae, sempiternae. Don. cf. 686.

933. Malim. s. Nostri, praeter H, recte. v. mallem.

935. Ego sum Pamphilus. Sic bene codex Bentleii

Academicus: nam sic loquuntur. cf. Eun. 480, Ad. 608. Etiam H: ego sum Pamphilus. DA. o Pamphile. P. nescis etc.

936. v. certe; sed quid mihi obtigerit. male eliderentur et in thesi occultaretur ὀρθοτονούμενον mihi. Liber C: certe non, et sic quoque corrector in B. Alterum non forte excidit, ut solent eadem similiaque verba.

950. v. exeant huc, minus bene.

951. Faërnus ad h. l. monet, hic quidem ante verbum Plaudite, in omnibus vero aliis Nostri fabulis ante verba Vos valete, antiquos libros notam hanc, ω, habere, quam explicans Be., laudato Horatianae epistolae ad Pisones 154: Nota, inquit, illud Plaudite a Cantore dici solere. Alius est Actor, alius Cantor. Actores in hac Andria primarum et secundarum partium Ambivius et Atilius erant. Tertiarum partium actor, utpote ignobilis, nusquam memoratur. Cantor autem Flaccus Claudii filius qui tibiis paribus canebat, dextris et sinistris. Ergo cum actores omnes ex scena exirent, Cantoris erat, depositis ex ore tibiis, Plaudite insonare. Vt igitur in vett. libriis personae aliae notanter PAM. DAV. CHREM., ita hic olim CA., pro Cantore scilicet: quae nota, cum non intellecta esset paulatim, et compendii causa, in proximam ei formam ω degeneravit.

Sic ille, perquam probabiliter. quare adscripsimus personae nomen.

Ceterum in extremis Terentii fabulis v. haec leguntur: CALLIOPIVS RECENSVI. Quod nomen seu verum seu fictum habeatur (nam Alcuinum, qui Caroli M. aetate scholasticum egit, Calliopii nomine, a Calliope Musa ducto, librariis venire scribunt Casp. Barth. Adversar. 6, 20, et Eustach. Swart. Analector. 3, 11, sed alii quoque reperiuntur Calliopii) certe grammaticus quidam designatur, qui Terentium ad prisca exemplaria correxit, quomodo Vettius Agerius Basilius Mavortius (vides hoc genus hominum nominibus non parcere) Horatium, Securus Melior Felix Asper Martianum Capellam, Crispus Sallustius quidam Apuleium, alii alios. Cuius recensionis quoniam hodie vestigia, quae quidem certa sint, habentur nulla, nomen inane repetere insuper habui. cf. Fabricii bibl. lat. curata ab Ernesto vol. 1. pag. 52.

ANNOTATIONES IN EVNVCHVM.

Sulpitianae periochae versu 3 v. Ipsique, praecedente ipsum, sequente ipse, quod infantis est.

ibid. 5 v. Thaidis amator, quasi is non item fuisset Thraso.

Titulo v. absunt verba postrema Meruit pretium octo millia numum, quae olim ibi lecta fuisse testis est Donatus in Vita Nostri.

PROLOGVS.

Versu 3 hic abest Gu. 1, quod sententiae quidem causa facile feramus, ut alibi in prologis, nisi respondere sibi videntur hic et his.

4. v. Tum si, quasi huc pertinerent antecedentia, non haec istis opponerentur.

7. v. easdem, minus vere: nam poterant primum bene verti a Luscio, dein male componi in scenae usum, fabulae; at eadem opera utrumque fecisse adversarium indicatur. S. p. Afer, velut Heaut. 316, ubi vid. Faërn.

9. v. nunc nuper dedit. Sed nihili est hoc verbi nunc nuper. Et quid hic vituperii? An sic dedit, ut etiam hoc exemplo intelligeretur, ex bonis Graecis facere illum malas Latinas? Apage tam contortam sententiam a Terentio. nempe — per in nuper absorpsit sequentem similem syllabam, nu — autem male geminatum in nunc degeneravit.

12. v. illic, vitiose. sequimur unum Bentleii cod. iam unde similiter positum atque in antecedente versu. Aut in extremis versibus p. invenitur, velut. Ad. 13. De Phasmate et Thesauro bene vetus Scholiastes: Phasma, inquit, nomen est fabulae Menandri, in qua noverca superducta adolescenti, virginem, quam ex vicino quodam conceperat, furtim eductam, cum haberet in latebris apud vicinum proximum, hoc modo secum habebat assidue, nullo conscio: parietem, qui medius inter domum mariti ac vicini fuerat, ita perfodit, ut in ipso transitu sacrum locum esse simularet; cumque transitum intenderet sertis et fronde felici, rem divinam saepe faciens evocabat ad se virginem. Quod cum animadvertisset adolescens, primo aspectu

pulchrae virginis, velut numinis visu, perculsus exhorruit: unde Phasma nomen fabulae; deinde paulatim, re cognita, exarsit in amorem puellae ita ut remedium tantae cupidinis, nisi ex nuptiis, non reperiretur. Ita, ex commodo matris ac virginis, et ex voto amatoris consensuque patris, nuptiarum celebratione finem accipit fabula.

In Thesauro huiusmodi fuerat Luscii argumentum: Adolescens, qui rem familiarem nequitia prodegerat, servum mittit ad patris monumentum, quod senex sibi vivus magnis opibus apparaverat, ut id aperiret, illaturus epulas, quas pater post annum decimum caverat sibi inferri. Sed eum agrum, in quo monumentum erat, senex quidam avarus ab adolescente emerat. Servus ad aperiendum monumentum auxilio usus senis, thesaurum cum epistola ibidem reperit. senex thesaurum, tanquam a se per tumultum hostilem illic defossum, retinet et sibi vindicat. adolescens iudicem capit, apud quem prior senex, qui aurum retinet, causam sic agit:

Athenienses, bellum cum Rhodiensibus
Quod fuerit, quid ego hic praedicem?

et cetera, quae contra naturam iurisque consuetudinem posita arguit et notat Terentius: quod ille ordo potior erat, ut adolescens prior proponeret causam, qui petitor inducitur.

19. Quam nunc etc. Expectes Nam quam etc., siquidem his probantur, quae in antecedentibus dicta sunt, Luscium laedere instituisse. Sed non inelegans est asyndetum.

20. Post hunc versum v. sequitur ille, cuius initium Perfecit, quem deinde excipiunt verba Magistratus cum ibi adesset vel adessent, ut in tribus est Bentleii libris et nostro C. Vide, an continuitatem orationis restituerimus. Nam quid dicunt vulgata? Nempe hoc: Postquam emta fuerit Eunuchus, Luscium, ignobilem poëtam et minime potentem, perfecisse, ut sibi inspiciundi esset copia. Quid inspiciundi? num perlegendi fabulam? num domum auferendi? Caecilio, teste Donato in Vita, iussu Aedilium, Andriam non tradidit Terentius perlegendam, sed ipse ipsi inter coenam recitavit. Quod nobilissimo poëtae et amico Nostri indultum haud fuit, id ut obscuro et inimico fuerit permissum? Cave credas. Et porro videamus. Magistratus, i. e. Aediles, cum ibi adessent, agi coepta dicitur fabula; nam legitur vulgo: adessent, occoepta

est agi, omisso posteriore cum. Ibi vero? quo loco? nimirum consueto. Atque id sponte scimus. Et consentaneum quoque est scilicet, non prius agi coeptam esse fabulam, quam adessent Aediles, quorum cura et iussu agenda esset. Non tam ineptum blateronem novi Afrum. Quid igitur rei est? At nihil amplius, quam, cum emta haec fabula iam praesentibus Aedilibus, absente populo, primum agenda fuerit, ut quomodo spectata animos affectura esset, quae lecta placuisset, intelligeretur, ibi, i. e. tum, orando, flagitando, perfecisse bonum Luscium, ut sibi quoque, praeter morem, inspiciundae eius esset copia. Proprie vero et vetuste et magnifice poëta dixit Aediles magistratus, quomodo et ludos Aediles Plautus. quod cum obsoletum magistris videretur, cito mutatum est.

25. v. Naevi et Plauti. nimis absurde. Memoria parum valens, vetus poëta dubitavit, Naeviine an Plauti esset illa fabula. Et Plauti quidem Colacem laudat Nonius, Naevii nusquam memorari monet Be.

30. Colax Menandri est. in ea est parasitus Colax. Reliqui scripturam codicum, ut eam inveni. ceterum minime probabile mihi videtur, nomine Colax, Adulator, tanquam proprio, vel in vita communi vel in comoedia, nova praesertim et Menandri elegantissima, appellatum fuisse quenquam. Adulatorem manifestum, et qui dedecus suum ipso etiam nomine profitetur, non despicatui habere solemus, sed odimus, fugimus, relegamusque ex comoedia in tragoediam et satiram. Peniculi, Saturiones, Ergasili, Gelasimi, Curculiones, Artotrogi, Gnathones denique, ridentur illi ob facetias suas, admirantur ob studia dominorum et patronorum indefessa, despiciuntur fortasse ob voracitatem et adulandi artem, quam mire callent, sed odio talem personam dignatur nemo, videturque potius id hominum genus vitia sua compensare virtutibus. Quid igitur faciemus isto Colace? Nempe depravatum esse aio verbum Colax, et pro eo utroque in loco reponendum Corax, corvus. Aristophanes Av. 1290 ed. Brunck:

Ὠρνιθομάνουν δ' οὕτω περιφανῶς, ὥστε καὶ
Πολλοῖσιν ὀρνίθων ὀνόματ' ἦν κείμενα.
Πέρδιξ μὲν εἷς κάπηλος ὠνομάζετο
Χωλός· Μενίππῳ δ' ἦν Χελιδὼν τοὔνομα·
Ὀπουντίῳ δ' ὀφθαλμὸν οὐκ ἔχων Κόραξ.

Plura eiusmodi nomina ibi percenset Comicus, quae apud ipsum leges. nos in Opuntii istius unoculi co-

gnomine persistamus. Cur igitur κόραξ, corvus, iste appellatus est? Declarat rem Scholiasta vetus Comici: ὅτι ἅρπαξ καὶ ἀηδής, quia rapax fuit atque importunus: convenit ea descriptio et in parasitos δειπνολόχους. Meminit eiusdem Opuntii Didymus, ὡς μέγα ῥύγχος ἔχοντος: atqui tales haud dubie in scenam prodibant parasiti ἐπίγρυποι, ut aquilae vel corvi. vid. G. G. S. Kōpkii perelegantem dissertationem de persona parasiti, versioni Germanicae Eunuchi et Phormionis, ab ipso nuper editae, praemissam. Porro ridiculum id nominis, non odiosum, proindeque comoediae non minus aptum quam ipso etiam, ut videmus, vitae usu receptum ac comprobatum. Vnus cuipiam restet scrupulus de Naevii vel Plauti fabula hic commemorata. At ibi quidem recte habere puto inscriptionem Colax, utpote in veteribus Comicis, qui priscam Graecorum comoediam mordacissimam et satirae affinem imitabantur, nominibusque personarum suarum non tantum ridiculis, sed etiam ignominiosis, Graecis praesertim, eo minus abstinebant, quo rudiores habebant auditores Graecaeque linguae imperitiores. Nosti Plautina ista Harpax, Labrax, Pseudolus, et scortorum nomina Silenium, Gymnasium, Panegyris. Colacem igitur illud cum modo recte exarasset nescio quis librarius, tinniente adhuc in auribus eo verbo, hic itidem, proclivi lapsu, Colax dedit pro Corax; quod vitium deinde, ut fit, propagatum est.

36. Currentem servum. sic Bemb., orationem varians. v. currentes servos.

37. post hunc versum v. haec inculcantur:

Parasitum edacem, gloriosum militem,

quae ex antecedentibus locoque simili, Heaut. prol. 38, nescio quis compilavit, hic alienissima: nam dicit poëta: si iisdem personis (intelligit autem parasiti et militis) uti novis poëtis non liceat, qui magis et currentes servos scribant, bonas matronas etc., ut plane absurdum sit, hic iterum memorari parasitum et militem.

41. cognoscere. i. e. spectare cum silentio. cf. 44. Andr. prol. 24, 25. Hec. prol. prior. 8.

42. Novi, verbum gravissimum sexta sede positum est, quae arseos similem vim habet propter pausam sequentem.

FABVLAE v. 3 nil fortius. s. H, perbene. v. neque fortius.

9. Actum est; ilicet; peristi. Translatio a iudicio et supplicio. Donat.

13. Be. eam rem c. Atque in codice B inter lineas rem, ut omissum, manus serior adscripsit. sed nihil equidem muto, nec versum desidero solidiorem.

20. Exemplum ellipseos, quod instar omnium esse potest. Cuius figurae neglectus haud raro fraudi fuit librariis atque editoribus; velut Aristophanis Lysistr. 347 ex int. legitur ὑποπίμπρησιν ἀνὴρ, cum poëta, ellipsi usus, et quae quidem ad iocum esset composita, dedisset tantum ἥν τις ἐκείνας.

22. v. mehercle, invitis vett. edd., Donato, metro denique: nam una obscurari in thesi (legitur autem v. una mehercle falsa), minime ferendum.

23. misera, i. e. mala. vid. ad Andr. 852. pessumam infra 107 dicit Phaedria.

26. v. Illam, contra ac moris est, ubi posterior verbi syllaba acuitur.

28. Sic saepe videre et vivere utriusque linguae scriptoribus coniunguntur ad significandum totum hominis alicuius statum. Ita quoque video et valeo Heaut. 192.

31. Coniungenda sunt Parmenonis verba Et ne te adflictes, si sapis etc., a Phaedria interrupta.

32. Menander Eunucho:

Μὴ θεομάχει, μηδὲ προσάγου τῷ πράγματι
Χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς δ' ἀναγκαίους φέρε.

33. v. et illas, minus eleganter.

48. v. ut, m. l.: nam ictum habere debet tibi, ut mox ego. Hoc corripitur, sicut 973 et p.

50. v. Ne crucia te, obsecro, anime mi, Phaedria, versu hiante. Be. anime mi, mi Phaedria, κακοφώνως. Corruptum censeo verbum anime, a quo prope abest, quod reposui, nimium. cf. Heaut. 180.

54. Siccine ais? Nihil mutandum: indignantis est siccine, et quid ais? ain'? ain vero? ain' tandem? p. usurpantur, ubi alterius sermonem aut miramur aut negligimus. cf. 341, 747, Andr. 845.

59. Falsum loqui, mendacis est; fictum callidi; vanum, stulti. — Falsis decipimur; fictis delectamur; vana contemnimus. Donat.

71. v. accepit, coepit studiose omnia, ex int., et κακοφώνως, maleque posito verbo studiose.

76. Rogas? s. codd. nostri B C Gu. 1 H. bene. v.

qui istuc? P. Quia neque etc. Fortius est asyndetum. S. p. languidi magistelli, velut et Aristoph. Equ. 303 bis coniunctionem infersere, cum creticus ipse sibi poscat:

Ὦ μιαρὲ, βδελυρὲ κεκράκτα, τοῦ σοῦ θράσους —

De Rogas cf. 275, 315, 380. Andr. 135.

77. v. abest is.

84. v. Ne hoc quidem t. P. vel neque hoc t. P.; sed interrogationem requirit servi responsio. cf. Heaut. 555. Hoc in ictu poni, non ita necessarium.

86. v. eius, m. l.

92. venit. i. e. rediit, ut Heaut. 379, 80, Hec. 288, 9. Οὐδ' ἦλθε. ni fallor, dederat Menander: nam ex Graecorum hoc quoque consuetudine, qui sic usurpant ἔρχεσθαι, ἀφικνεῖσθαι, similia. vid. Herodot. 6, 24, 40, 103, 104. 7, 148.

104. parere etiam A, ut Bembinus. vulgatae inconcinne parare.

105. v. me id quo, sed superfluum est id, neque comparet in B et H.

109. vir es. i. e. vir fortis, vir magnus. s. p. vir et ἀνήρ: cf. 729, Aristoph. Equ. 179.

115. v. nisi si illum plus amas quam me, ex int., ut mox Egon' id timeo? pro eo, quod nos reposuimus, Ego idne?

125. v. tamen, contemtus abs te, h. h. in m. sed contemtus arsi tollendum erat.

141. Bene facis. In consuetudinem venit, Bene facis et Bene fecisti non iudicantis esse, sed gratias agentis. Donat. cf. 412.

142. v. ibo. ibi me etc. κακοφώνως. illi, illic.

143. v. gerundus est, unde Be. fecit gerundust; sed vide ad Andr. 578.

144. v. Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur. sed codd. B C H deducantur, recte: nam hoc in servis saepissime usurpatur, illud nunquam, Nostro. Parmeno glossema esse, versus arguit.

145. v. At abest, non sine versus detrimento. responsioni inservit.

151. V. insulse: Meus fac sis postremo animus. Animus pro omnis exarari proclive fuit. quod ubi factum esset, pronomen sedulo mutatum est. Omnis itidem intelligas in verbis quando ego sum tuus.

163 – 167. Haec v. s. leguntur et digeruntur:

— satin' hoc mandatum est tibi? PA. Ah!
Rogitare? quasi difficile sit.

Vtinam tam aliquid invenire facile possis, Phaedria,
Quam hoc peribit. PH. Ego quoque una pereo, quod mi est carius,
Ne istuc tam iniquo patiare animo. PA. Minime: quin effectum dabo.
Sed numquid aliud imperas?
PH. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris, et istum aemulum,
Quod poteris, ab ea pellito. PA. Ah,
Memini, etc.

Be. quinto horum versuum factum pro effectum dare satis habuit, reliquis intactis. Sed, quaeso, quam vim habere praedicentur hoc loco saepius usurpatae clausulae? Nam Phaedriae quidem commotissimus animus ut deferbuerit in illud Quod poteris, ab ea pellito; sed quid faciemus istis Rogitare? quasi difficile sit, Sed numquid aliud imperas? Num haec quoque mediocriter affecti verba servuli digna existimabimus, quae extra limites certi metri ponantur, quasi lyrica quaedam, freni impatientia? Nempe hoc arbitrari nihil aliud est, puto, quam de emendando desperare. Corruptus est locus, ut fere fit, ubi longiores minusque usitati occurrunt versus, qui dum, spatiis deficientibus, in plures dividuntur a librariis breviores, locum interpretamentis praebent. Ita hic adscriptum est tibi post mandatum, ita Quasi difficile sit, Phaedria (hoc quidem ad explendum versum, male interruptum), imperas, denique aemulum. Quibus deletis ecce tibi trochaïcos acatalecticos, omnibus suis numeris absolutos, quales et in vulgatis sunt huius scenae versus 1, 10, 11, quos inter qui medii veniunt, eodem affectu pertinente, cur diverso, cur subinde mutato, concipiendi metro fuerint, nemo exputet. Iam singula perlustremus. Et de primis quidem istis, quae dixi, glossematibus facile concessum iri arbitror. Quasi difficile sit nec Donatus legisse videtur: nam quae illius annotationibus praescripta vulgo habentur verba poëtae, reficta passim a librariis secundum recensionem sibi probatam deprehenduntur. Phaedria additum, ut 144 Parmeno, 217 Thaidis, Andr. 935 O Pamphile, ibidem 770 Crito, 652 a Glycerio, 502 Chremetem vel Chremem: sic enim plerique scripti post obviam; quod miror Bentleio placuisse. Imperas versu 166 inculcatum, sicut alibi vis et similia. quibus omnibus careri potest, siquidem ellipsis in hac forma et omnibus usi-

tata est, et inprimis hac figura gaudet Afer. cf. 312, ubi H liber: numquid me aliud vis? itidem ex int. Iam repetitum Quod poteris paucis se probabit. Pote, quod requirit versus, vere Terentianum est. vid. Ad. 238. Istum, i. e. molestum, odiosum, ut bene Donatus, fortius est quam istum aemulum. Adscripsit hoc verbi nescio quis ex 569. Donatus neque hoc cognoscit, nec versus fert. Denique illud Ah, vel potius au (nam sic fere scripti, vel hau, ut H), et ipsum metro nocet, salvaque omittitur sententia.

175. Tandem ne ego. sic bene H. v. ex int. numerisque durioribus T. non ego. A: T. non ut ego. Haec saepe inter se commutantur. cf. 619.

183. v. cum meo decrepito hoc eunucho, frustra.

184. V. sic:

Di immortales, homini homo quid praestat! stulto intelligens
Quid interest! hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi:
Conveni etc.

Aio, ista Quid interest — mihi a mala manu esse, siquidem nimis putide interesse aliquid dicitur stultum inter et intelligentem, qui plane diversi sunt. Inveteratum tamen hoc vitium, si genuina sunt, quae inter Donatiana leguntur, haec: Alii distinguunt, Quid praestat stulto intelligens? Alii; Stulto intelligens quid interest? quia sic veteres loquebantur. Et sane non inepte ab ipsis olim histrionibus addita haec quis putet, ut oratio quotidianae similior videretur; quo de genere corruptionis eleganter agit Muretus Var. Lect. 3, 3. Sed sero inflictum hoc Terentio vulnus ut arbitrer, facit Eugraphius, apud quem stolidi additamenti ne vestigium quidem apparet, sed recte ille interpretatur: Homini stulto homo intelligens quid praestat, i. e. praecellit. Scilicet sic verba sunt construenda, neque, ut distinguam post praestat, vel Antiphanis me persuadet illud: Ἀνδρὸς διαφέρει τοῦτ' ἀνήρ, vel ipsius Nostri simile dictum Phorm. 753: Vir viro quid praestat. Solebant autem interpretari praestat per interest; quod itidem ostendit Eugraphius, ad locum Phormionis laudatum haec observans: Vir viro quid praestat, id est, Interest. Atque hoc quidem puto erroris huius incunabulum. Nam errorem esse, etiam metrum indicat, cum interest semper pro amphimacro usurpetur, neque in eadem causa inter meros trochaïcos locum habeat iambicus versus. Ceterum praestat

non de ingenii praestantia accipiendum, sed de meliore fortuna, qua fere uti solent prudentes et callidi, qualis Gnatho.

187. v. annisque, C et annis; sed recte copulam omittit B.

193. Male interpungitur post verba color et nitor, quasi vestitus pro nominativo sit accipiendum. Ad vestitum spectare color et nitor, pulcre vidit Be., sed id minus advertit, ὑφ' ἓν intelligenda esse haec verba, ut color nitor idem valeat ac color nitidus; qui frequens usus est verbalium in tor: nam colore quidem vestitus nihil differebat parasitus a parasito, sed nitore. Quare non probo Angli elegantissimi coniecturam: Qui color, qui nitor, licet sic plane legatur in libro nostro C. Parasitos in scenam inductos fuisse veste atra vel pulla, ut statim agnoscerentur, novimus ex Polluc. 4, 18.

193. — neque plagas pati. Talium haud immunes erant parasiti. Nicolaus Stob. serm. 64, monente Lindenbrogio:

— γνάθον
Ἀκάματον, εὐθὺς δυναμένην πληγὰς φέρειν.

Axionicus Athen. dipnos. 6, 9:

Πληγὰς ὑπομένων κονδυλίων καὶ τρυβλίων
Ὀστῶν τε.

Plautus Capt. 1, 1, 20:

— qui colaphos perpeti
Parasitus potis est, frangique aulas in caput.

198. Hoc. intell. seculum, homines nunc viventes.

199. Φιλοπρωτεύοντες hice audiunt Graecis.

201. Simul. I. e. non unius, sed omnium simul admirabatur ingenia, ne quem forte contemnere videretur, eiusque gratiam corrumperet. Hunc inter et sequentem versum v. hoc inculcatur:

Quicquid dicunt, laudo; id rursus si negant,
laudo id quoque.

quod interpretamentum est elegantium illorum: Negat quis? nego; ait? aio. Nec multum advorser, si cui videatur iste versus ex priore dramatis editione remansisse, cum sequentia sic legerentur indistincta: Omnia adsentari, is qu. n. e. m. u. Crates Cynicus eiusmodi parasitos appellare solebat συγκατανευσιφάγους. Eupolis apud Athenaeum, ex nostra emendatione:

Ἐπειδὰν ἄνδρ' ἠλίθιον ἐγὼ κατίδω τινὰ
Πλουτοῦντα, καὶ περὶ τοῦτόν εἰμι, χᾦ τύχῃ
Λέγων ὁ πλούταξ, τοῦτο πάνυ καταπλήττομαι

Καὶ τοῦτ' ἐπαινῶ, τοῖς λόγοις χαίρειν δοκῶν.

203. Menander:

Πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων.

215. v. Viden', otium et cibus quid facit alienus. Sed sic cibus in thesi latitat; quod non committendum. Vide otium! ut Andr. 203: Importunitatem spectate aniculae; infra 438: Audaciam meretricum specta; Heaut. 263: Hoc vide; Aristoph. Equ. 344: ἰδοὺ λέγειν, specta eloquentiam! et 711: ἰδοὺ προεδρίαν, vide praesidere! Eleganter oratio variatur. Verbi facit posterior syllaba pro longa accipitur vi pausae sequentis, ut p. eiusmodi syllabae verbales in caesuris et versuum incisionibus. vid. infra 250, Hecyr. 408, 727, Plaut. Asinar. 2, 3, 11, 20, 24, 27. Ovid. Pont. 1, 3, 74. 4, 46. 4, 3, 44. Idem Metam. 4, 711. 7, 170. Virgil. Aen. 12, 772. Cf. et annotata ad Andr. 657.

217. v.

— ante ostium Thaidis. tristem video.

Thaidis metro repugnare, omnes propemodum viderunt. Glossema id est, nec magis admittendum, quam Andr. 652 verba a Glycerio, et similia, quae passim inculcata deprehenduntur a librariis. Alii itaque aliud pro eo substituere conati sunt, Muretus meretricis, quod probo, ut qui haud nesciam, eiusmodi verba, quae impudica viderentur, passim vel expuncta vel mutata esse a sanctis abbatibus, apographa monachorum suorum corrigentibus. Vel Thaïdis nescio quis adscripsit pariter atque infra 301 legitur ad meretricem Thaïdem, ut dein aliena vox genuinam expulerit. Reponendum quoque est: video tristem, ne vox tristem in thesi occultetur, cardo sententiae: nam id parum erat, Parmenonem stare ante ostium Thaidis; poterat acceptissimus illi esse, poterat opperiri, ut Gnathonem, ipsumque adeo militem adventantem, probe deverberaret; sed quia tristis adstat, inde, spe Phaedriam excidisse, non inepte colligit parasitus.

221. Summum. intell. amicum, ut est Phorm. 1. sic et Ad. 326.

223. v. quia tristis es, ex int. vid. ad Andr. 578.

224. Quomodo falsum putet, ex sequentibus ipsius dictis intelligitur: nam illuc haec pertinent. Es pro vulgato est etiam nostri B C H.

229. Laudo. Bene dicis, benigne dicis, vel etiam absolute: bene, ut Plaut. Bacch. 1, 1, 6. vel benigne ut est apud Horatium, audio Phorm. 126, novi ibid. 658, fateor infra 553, Phorm. 202, certo scio Phorm.

756, sat scio Hec. 823, item recte, nil; recte; fortasse, Heaut. 725, Plaut. Asin. 2, 4, 86, credo infra 963, Heaut. 159, creditur Hec. 400, ut opinor Ad. 622, censeo Eun. 169, aiunt Andr. 293, vel ita aiunt, ut Ad. 905, ita ut dicis Ph. 360, formulae sunt vel honeste negandi, vel reticendi aliquid sine iniuria quaerentis, ut recte Taubmann ad Plauti l. l., vel denique colloquium aut frigidum aut molestum nunc tepide approbandi, nunc finiendi cum gratia. Graecorum haec more omnia, qui similiter καλῶς, κάλλιστα, ἐπαινῶ, aliaque eiusmodi usurpare solent. vid. Brunck. ad Aristophanis Ran. 508, 888. Ita et hic Laudo. Abire voluisse Parmenonem, indicant sequentia Gnathonis dicta: Detineo te? — tun' profectus alio fueras?

230. v. Detineo te. fortasse tu p. a. fueras. sed unde scit Gnatho, se detinere servulum? et si scit, cur fortasse, ubi expectaris certe, vel quiddam simile?

231. admittar. v. additur ex int. ad illam, quae sequentem versum frustra onerant.

232. haec. ita C, vetuste.

233. Num quem evocari hinc vis foras? His dictis virginem intro abducit Gnatho, sed statim redit, irrisum denuo Parmenonem.

236. v. Etiam nunc hic stas, Parmeno? eho numnam etc., corrupto versu, ut cuius incisionem neque anapaestus unquam antecedat nec tribrachys, sed iambus semper. Be. nunc delevit, addidit tu ex uno codice, quicum facit noster B, recte; sed Etiamne non inducendum ex uno Bentleii scripto, nostris B C, et veteribus editionibus: nam versus respuit.

240. v. ex Piraeo, minus concinne. Excubabat illic iuventus Attica adversus praedonum incursus, ut recte Donatus.

250. v. inverso ordine: Fuisse illum alterum, praeut huius rabies quae dabit. Sed facile apparet, similem hunc versum esse praecedenti. Tritum verborum ordinem et hoc loco sectati sunt librarii. Dabit posteriorem syllabam producit. vid. ad 215.

255. 6. Haec v. sic habent:

Ita prorsum oblitus sum mei.
P. Qui, quaeso? CH. Amo. P. Hem! CH. Nunc,
Parmeno, te ostendes, qui vir sies.

Iambicum (nam talem hunc putabat) ut restitueret, Be. reponebat ostende sis vel potius ostenderis. sed minime placet, Amo, vocem gravissimam, in thesi

occultari. Scilicet nihil mutandum est, nisi quod sis leges pro sies, sed lyricum poëta metrum intulit, rei aptum. Amo hem ſere pronuntiatum fuit tanquam Amo 'm, ut plene exaudiretur amo.

258. modo transpositum, ut passim, velut mox 272: nam ames in ictu collocari debet. Vulgo: Modo, quod ames. vid. ad 346, 260. Age inepte. sic loquuntur elevantes alterius dicta. cf. Ad. 245. V. autem: hoc hercle ſactum eſt. fac sis nunc prom. appar. sed cur tantopere affirmet rem puerilem et levissimam Chaerea? Cod. B C H: fac nunc sis, nunc prom. ipsa, vel (nam sic C) tua ipsa etc. Repetito adverbio affectus adiuvatur. Persius 3, 23: nunc, nunc properandus; et similiter 5, 174: hic, hic, quem quaerimus, hic est. Cf. 453, 854, Phorm. 742, 3. Aristophanes Avium 859: — τουτὶ τι ἦν, τουτί; et eiusdem ſabulae 936:

Τόδε μὲν οὐκ ἄκουσα φίλα Μοῦσα, τόδε,
Δῶρον δέξεται· τὺ δὲ τεᾷ φρενὶ
Μάθε Πινδάρειον ἔπος...

cuius loci elegantiam non assecutus Brunckius τόδε posterius delevit, eademque metrum perdidit: nam dochmaïci hi sunt, quorum ultimus imperfectus, interturbante Pisthetaero. Ad quam faciem et Pacis 64 legitur in libro Ravennate:

Τοῦτ' ἔστι, τουτὶ, τὸ κακὸν αὐθ', οὐγὼ 'λεγον.

quod longe fortius vulgata lectione τ. ἔ. δῆτα τὸ κακὸν etc. cf. Aeschyli Eumenid. 748. S. p. Hoc, propterea.

261. v. CH. Sive adeo res est. Locum non habet sive. Recte his praescribi in codd. nostris Parmenonis nomen, iam apparet, legoque cum eisdem si adeo, correcto tamen verbo sive, non omisso, quod libri faciunt. Sine interdum est rem extenuantis et contemnentis, ut infra 330. Parmeno autem, ut recte monet Be., totam hanc fervidi adolescentis orationem tepidus et lentus audit.

263. pectore. Vetus codex Lindenbrogii et Gu. 1 corpore.

264. v. Si qua est habitior. Quae requiritur a sensu, non qua, sed s. saepius erratum, velut Heaut. prol. 44. Neque sic recte, ex veterum more, acueretur habitior. vid. ad 940.

265. v. iunceas. sed de una illa virgine sermo est, quam habitiorem finxit. Ergo versu sequ. indignantis est.

268. v. ipse, m. l.

271. v. amisti, prisce quidem, sed inconcinne. sequor Bembinum et nostros codices.

274. Felicitates adversae. Oxymoron. Donatus: Felicitas, inquit, adversa est, cum ex prosperitate, quod laedat, nascitur. nam felicitas erat, puellam vidisse, quam cum e conspectu amisisset puer, bona illa fortuna in adversam mutari videbatur. Be. aversae, ut aversi dii dicuntur. codd. A et C: Adversitates, emendare poëtam visis sibi scribis. s. Aristophanes Equ. 14 istud μὴ, quod v. obtinet, librariorum sapientiae debetur. loco inexpectato Comicus: Age, dic tuam sententiam, ut rixemur, ut habeamus, in quo disputemus pro more nostro: ἵνα σοι μάχωμαι. Brunckii 2 codd.: ἵνα σοι μὴ μάχωμαι. cf. Schol.

275. Scelus. infortunium. cf. Plaut. Capt. 3, 5, 104. Be.

282. v. minimeque, languidius quidem.

283. v. Eho, nonne hoc monstri simile est? Iam arsi gaudet monstri.

289. Bene ad h. l. Donatus: Non: ut sit, sed: ut esse meminerit. O prolixitas! Et odiosae tarditatis senilis etiam ista esse monet: Scin' quid ego te volebam, et verbum diligenter.

292. v. Illa sese, minus significanter.

301. v. et scis, ubi siet, ex int.

306. v. heri senem, m. l. senicem Plautus Mil. 3, 1, 53; sed saepius inter se permutata senem et senium, velut supra 251 omnes nostri codd. senem praeferunt, non senium, quod poscit versus: nam senem μονοσυλλάβως pronuntiandum esse ut snem, abdomini ut abdomni, nemini ut nemni, non persuadet Be.

315. v. Quid ita? CH. rogitas? etc. Sed metrum iam hoc versu mutari convenit.

318. v. abest is, non sine sententiae iactura. cf. infra 555.

329. calidum, θερμὸν, i. e. periculosum.

331. v. flagitium facimus. CH. An id flagitium est, si etc. sed se nusquam hic admiscet cautus servulus: vide 337: nam quod consilium id dedit, iocatum se esse dixit. iam flagitium utraque accentu gaudet.

333. despectam. sic recte Bembinus liber. v. male: Habent despicatam vel despicatu.

334. v. gratiam, crebrius illata M litera.

335. patri. sensus est, inquit Be.: cur non has meretrices debeam fallere? an potius aequum est, haec a me fieri adversus patrem, ut eum ludam dolis, pe-

cuniam scilicet ab eo per fallacias auferendo, quam in amores et voluptates meas insumam, cum liceat, fallendo has meretrices, cupiditatem meam sine ullo sumptu aut dispendio explere? Sic ille recte. v. tamen legitur pati, et sic omnes nostri et Bentleii, praeter huius unicum, qui a manu prima patri.

338. Fac iam... Intellige: ut res transigatur, ut nostrates eodem sensu: Mache nur. v. non faciam, proclivi lapsu: nam lapsum esse, verbi faciam pravus accentus est indicio. Non per se idem valet.

340. Magnas vero agere gratias Thais mihi. Exemplum iambici senarii venustissimi et vere Terentiani: nam vides, et verba graviora Magnas, gratias, Thais, in arsi collocata esse omnia, et eorum duo praecipua Magnas et Thais pedum primum et quintum, ubi amantur spondei, quodque totos explere, salvis accentibus; quod in elegantiis metricis numeratur. vid. etiam ad Andr. 372.

344. datum. fato decretoque concessum. cf. Virg. Aen. 7, 313. Donat.

345. grata. gratiam hominum mihi conciliantia, ut recte Zeune. Cicero apud Marcell. 27.: Cum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata videbantur, quae faciebat. cf. Hea. 210. ibid. 883.

346. v.: vel rex, male collocato verbo rex. Pertinet vel ad maximas: nam sic passim verba transponit Noster, velut cum dicit 44 sane quia vero pro sane vero quia, 164 tam aliquid invenire facile, infra 372 tuum obsecrone, supra 329 vide ne nimium calidum hoc sit modo, pro vide modo ne etc. infra 1038 dixin' ego in hoc esse vobis Atticam elegantiam? pro dixin' ego vobis, in hoc esse A. e.? cf. Ad. 559, 60. Orationem militis sic interpretare: Magnas vero gratias agere Thais mihi? — quanquam quid hoc mirer? rex vel maximas mihi agebat semper. Stultus enim aut non meminit, aut, qua est superbia, non curat, Thaidis gratias a parasito dictas esse ingentes, quod idem τῷ maximas, sed suum tantum ipsius verbum, Magnas, in animo habet. Ceterum intelligi potest, ut Dacieriae placet, Seleucus, rex Asiae. sed vide omnino eruditissimi Boettigeri duos excursus, alterum praesertim de persona militis gloriosi, specimini additos editionis, quam tantopere desideratam parat, Terentii.

349. Mire adulator hoc attribuit militi, quod minime habet, vel verba, vel salem. Donat.

350. habes, intelligis. sic dicitur accipe et da. Id.

Scilicet. vide inconditam properationem laudare se cupientis, adeo ut non sinat verba impleri, quin praefestinet scilicet et verum dicere; et, quam intempestive ad regem transitum fecit, cum de meretrice agatur. Id.

354. quasi; nostin'? Grate expressit stulti infantiam militis, qui ante vult intelligi quod sentit, quam ipse dicat. Et proprie hoc morale est stolide seu ruditer loquentis. Id.

355. exspueret. irrisorie stulto, verbum quaerenti, ridiculum hoc parasitus suppeditat, quod tamen probat miles, utpote se dignum.

361. Illi invidere misere. Donatus: Mire est facta nullius ponderis repetitio ad inertiam loquentis exprimendam. nam postquam dixit: Invidere omnes mihi, repetit: Illi invidere misere. Quin et impense et misere idem significant.

362. El. q. I. pr. tanquam magnum hominem, qui sibi invideret. ceterum praestantissimi elephantorum Indici.

366. iugularas. ridicule usurpat militare verbum, ut supra triumphat.

375. Fl. Vopiscus in Numeriano, laudante Lindenbrogio: Ipsi denique Comici plerumque sic milites inducunt, ut eos faciant vetera dicta usurpare. nam et, Lepus tute es, et Pulpamentum quaeris, Livii Andronici dictum est, multaque alia, quae Plautus Caeciliusque posuerunt. Ceterum bene monet Barthol. Latomus, proverbium hoc esse in mollem et muliebria patientem.

376. Quid est? Haec interrogatio gestum vultumque continet cuiusdam alacris et certi, quod laudandus sit. Donat.

377. v. Tuum, obsecro, ne hoc dictum erat? vetus credidi. Vbi vides, vocem gravissimam, vetus, misere deproperari. Erat glossema est, verbisque transpositis alterum hoc, ut fieri solet, omiserunt.

379. Dolet etc. Addit parasitus, quo gravius sit dictum, commiserationem eius, in quem dictum est: scit enim, homines stultos malos videri velle. Donat.

386. Scin'. Monentis est dicere Scin', vel Scito. Idem.

391. Intromittamus — provocemus. Eleganter, quia illa foris est, haec intus. Haec est in verbis poëtae germana proprietas. Idem.

Legitur v.: Intromittamus comissatum, tu, Pam-

philam etc. Be., deleto tu, quod abest sane vett. edd. et nostro C, reponebat Cantum, tu, provocemus; durissime, si quid ego sentio. Aptum est, aliquam Phaedriae laudem memorari, quapropter intromittendus sit, quomodo cantus causa arcessitur puella. Nec male fingitur miles aemuli laudem in sui vituperium interpretari, quasi ipse non sit comis; quare, par pari referens, cantatum provocat puellam, quia Thais ipsa canere nesciebat. Facillime autem inter se permutabantur comisetu, i. e. comis est tu et comisatu. Bacchis Hec. 780. amatorem laudat ut benignum lepidum et comem. Benignus erat Thraso, nihil amplius.

392. haec. Expectaris illa, ut modo habuimus in eadem persona: si quando illa dicit; sed ita et Graeci interdum ὅδε et οὗτος usurpant pro ἐκεῖνος. vid. Sophocl. Oed. Tyr. 780, 1422, Eurip. Troad. 924.

395. Hinc verisimile fit, facile militem ferre posse, anteponi sibi Phaedriam, quia se semper intellexerit non amari. nam si hoc tollas, aut excludendus est Phaedria, aut ex dolore militis in hac fabula fit exitus tragicus. Et hoc miles ut sapiens locutus est. ergo meminisse convenit, ridiculas personas non omnino stultas et excordes induci a poëtis Comicis: nam nulla delectatio est, ubi omnino, qui deluditur, nihil sapit. Donat.

396. v. Quando illud q. tu das — Iamdudum — iamdudum etc. obscure.

401. v. ceterum Idem hoc tute m. q. i. T. Be.: Idem hoc aut m. tute inv. Th. Hoc interpretamentum est τοῦ id, quod verum puto. Melius, i. e. prius, facilius.

403. Haec secum Thais. Donat. ad 344: Iniuriose: militem; honorifice proprio nomine dicitur, ut iam fit, cum dicit: mi Thraso. cf. 1008.

408. Verba eamus — stas? non, sicut v., parasito, sed Thrasoni, attribuunt codd. B H, recte; quod ostendit Thaidis responsio: nam tanti non erat Gnatho, ut, ubi is vellet, eundum esset. Et plus semel ille inculcat imperatorium suum eamus, abeundique impatientiam significat. cf. 414, 441, 443, 455. Attamen iam Donati tempore erant, qui haec Gnathoni adscriberent, ut intelligas, mature depravata fuisse Nostri scripta. cf. Ad. 252. Alterum, i. e. alterum dictum militis absurdum.

409. Ex homine hunc natum dicas? i. e. hominem hunc dicas? Be., nescio quid offensus, reponebat: Abdomini hunc natum dicas, ut sane p. abdomini di-

euntur nati qui sunt heluones et obesi. vidd. Cic. in Calpurnium Pisonem c. 17, Trebellius Gallieno c. 16., quae loca laudat Anglus egregius. Sed cum constet, Thrasoni hoc dici, non Gnathoni, cur ille ventri deditus fingatur, nulla causa est. Et sane maius opprobrium est, aliquem non hominem haberi, sed bestiam vel lapidem, sive ob pravos mores, ut hic et Andr. 599, sive ob stuporem, ut Hec. 157, 469, Ad. 553; quibuscum locis confer Ad. 708, 710, 908, Hec. 500. Accedit, quod nec versui satis convenit Abdomini. Quare nihil muto.

412. Bene fecisti, bene facis, Melius feceris, formulae sunt aut grates agentium, aut benevolentiam honeste significantium, ut nostrates: Schön! Gaudet viso Parmenone meretrix. cf. 1036. Interdum ironica haec sunt, velut Phorm. 389. Legitur autem v.: quo? — quid? hunc non vides? metro laborante: nam pedem, qualem hunc, quid hunc non, in medio versu nemo facile ferat.

416. Donatus: Nil potuit exitiosius militi contingere, quam ut continuo rivalis mitteret munus, et posterior, et coram ipso.

415. pace quod fiat tua. invidiose sic ait, quasi per eum non accipere liceat Thaidem. Id. Et carpit stultam otiosi hominis impatientiam.

416. conv. et coll. sic pronuntiandum est, ut quasi dicat: liceat per te, miles, quod etiam inter hostes et in bello licet. Donat.

420. Hic sunt tres minae. quasi iam vendenda sit, ut recte explicare videtur Donatus, utpote vili et non digna, quae habeatur. vide tamen, annon potius legendum sit haec (i. e. hae) sunt tres minae.

428. Donatus: Stulte miles attestatur hoc dicto pulchritudinem muneris. quid igitur proficit? et importunum hoc praesente Thaide, extra quam miles, si saperet, nihil amatorie contemplari debuit. Vel sobrius. honesta ellipsis propter mulieris praesentiam. cf. Virg. Ecl. 3, 8. Heaut. 862. Id.

429. v. Atque h. q. m. non sibi soli postulat, verbis sibi soli, quae gravissima sunt, obmutescentibus in thesi.

451. Cicatrices. Insigne foeditatis. nam cicatrices etsi gloriosae sint, non tamen etiam apud meretrices, quibus post pretium forma placet. — Donat.

432. quidam. contemtum indicat verbum (nam in bonam partem non quidam adhiberi solet, sed quisquam: vid. Heaut. 331). — Mire occupat animum

meretricis, cum illam huius impulsu inducit facere, quicquid dure fecit excludendo Phaedriam. Donat.

440. E flamma petere cibum, antiquum verbum est. Cf. Sueton. Tiber. 21. Lucilius apud Nonium voce Mordicus:

Mordicus petere aurum ex flamma expediat, e coeno cibum.

442. post huc. Ita Gu. 1 et Donatus. Codd. Bentleii et nostri B C H postea cont.; sed huc addi satius est.

443. v. Ego hinc abeo, frustra exasperato versu.

445. Sic Stoicorum simiam dixit Plinius epist. 1, 5. cf. Plaut. Mostell. 4, 2, 4. Be.

447. v. Et illud de Rhodio dictum cum in mentem venit. sed cum sententiae non convenit, abestque omnibus Bentleii et nostris scriptis. Rhodio in ictu collocandum erat, ut 369, ubi itidem male legitur: quo pacto Rhodium, et 372. Sic saepius erratum. vid. Ad. 316, ubi v.: quoque pacto tacito est. De transpositionibus eiusmodi verborum dixi ad 346.

448. praecurre. S. nostri unanimes. Palmerius: abi prae, cura, quod mihi languet, nec dicitur praeabire, sed praeire; quanquam hoc quidem ferendum esset ut abi intro pro introï Hec. 259.

458. In ordinandis versiculi vocibus sequor H. Verbum astute accentum retrahit.

459. v. iussit me ad se arcessier. sed nostri omnes: arc. domum, nec glossematis speciem habet domum. Eleganter abest arcessi, sicut salvere Andr. 503. Antiquum iusserat mutatum est a magistris.

468. Sunio, non Sunii, sicut v.: non enim oppidum hic, sed regionem, notat. Be.

469. Bono usus est verbo, avellere tanquam a pertinaciter retinente. Donat.

478. quid volt, pro quid velit. Graeca enallage. cf. Phorm. 769. similiter 494. si domi est pro si domi sit.

485. Indignatur de attrectatione Pythiae. Ceterum codd. nostri omnes: malam in rem hinc, et minus eleganter, et male eliso utroque nomine.

489. De symbolis edere, ut Graeci ἀπὸ συμβολῆς δειπνεῖν.

490. In sponsionibus annuli olim dati. cf. Plin. H. N. 33, 1. Lindenbrog.

498. v. N. q. h. est? — N. est, ex int. Legitur quoque sequitur post num quis hinc me (s. enim vul-

gatae), quod ex 503 arcessitum, ut sequente versu gaudium post licet ex 501, et accipiunt hunc pro trochaïco tetrametro catalectico, quo versu quam rei aptius sit lyricum, quod induxi, metrum, facile intelligitur. Ellipsis illa perturbato convenit. vid. supra 20, quod exemplum instar omnium esse potest.

499. v. Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium. Rumpere ex Nonio reponendum esse, gaudium delendum, vidit Be. sed versus poscit id, quod dedimus, Iam rumpere hocne licet, ut p. verba transponit Noster. vid. ad 346. Nonius: Rumpere, retentum proferre, diu tacita dicere. Sic, Bentleio observante, Virgilius rumpere silentia, voces, questus.

507. v. quod sic gestis, pessumdato versu, quem si statuas trochaïcum, obmutescit gestis.

508. v. quid est quod laetus es, ex antecedente versu. Amat orationem variare Noster. nec versui apta est illa lectio: nam cur metrum hic mutetur, causam non intelligo.

Satin' sanus? ὑγιαίνεις μέν; ut Aristophanes Av. 1214.

509. Taces quid? σιγᾷς τί; nam sic Graeci saepius postponunt τίς, τί. Quod non advertentes librarii, exarando quid taces? versum perdidere. cf. 617. Hominem dici festum diem, non est novum. Plautus Casin. 1, 49:

Sine, amabo, tete amari, meus festus dies,
Meus pullus passer, mea columba, mi lepus!

Locus simillimus. Neque hominis friget, sed recte additur, ut in illud hominis, scelus hominis, monstrum hominis, similibusque, ne res intelligatur, sed persona. In mentem venit similis locutionis, qua nostrates olim adolescentem delicatulum vestitusque nimis studiosum, ut puellarum in se oculos converteret, dicere solebant: der mägde sonntag, i. e. diem festum virginum.

510. v. cuperem, soloece. Legitur quoque vid. cup. quam te κακοφώνως et pronomine nimis occultato.

515. v. cum ipsum me, sententia nolente; Be. cum me ipse.

521. ut pro illo. Sic vett. edd., quod fortius vulgato et pro illo.

525. v. laeta vero, male collocato verbo laeta. Transpositum est vero, de qua figura dixi ad 346, verbaque sic construenda: illa vero illico, ubi me accepit, laeta ad se abducit domum.

531. haec, i. e. hae, antique, ut p. Noster. et probari potest forma ex hoc loco minime dubio.

534. Quo Danaes pacto, ut 369 Quo Rhodium pacto: nam itidem habere ictum debet Danaës. Legitur quoque v. misisse, sed H dannem iniisse, i. e., ni fallor, Danaae immisse, vetuste, quomodo Noster alibi dixe, produxi, iusti, sensti, praescripsti amisti: nam inire, obscoenum verbum, abhorret a Nostri elegantia. Danaes dedi ex B C, cum vulgo pessime legatur Danae, vel, secundum Bentleium, Danaae, quod ferri potest. Codex C etiam se praebet post misisse, quasi ipse in imbrem aureum mutatus fuerit Iupiter, ut sane fuit secundum alios, sed, ita depictum eum fuisse, absurdum est pugnatque cum sequentibus: deum se in hominem convertisse. Ceterum v. s. ordinantur versiculi postrema verba: quondam in gremium imbrem aureum, cumulatis M literis, haud pro arte Terentiana.

537. v. deum sese, male correpto verbo gravi deum.

540. v. — hoc non facerem? ego illud vero ita feci, ac lubens. Be.: — hoc non fecerim? ego vero illud fecerim, ac lubens. quasi non revera fecisset Chaerea. neque ita delendum erat, sed emendandum. Faxim, i. e. fecerim, respondet τῷ feci.

546. tum quidem. sic bene H. Vulgo equidem, male eliso adverbio.

547. v. qui esset status, obscurato verbo status. Scilicet magistri graeca consuetudine positum erat pro esset non ferentes, primum hoc reposuere, dein verborum etiam ordinem immutarunt, versui consulturi. De illa licentia cf. 478. Ceterum nostri scripti quis, minus bene.

Te, asinum tantum. Quia hoc ministerium delicatorum servorum est. Donatus. Recte: nam sic dicuntur robusti et magnae molis homines, nec non stolidi, quales fere isti deprehenduntur, ἀνόητα σώματα. cf. Heaut. 826.

553. v. aliter haec personis dividuntur, sic: AN. Quid tum? CH. Quid? quid tum? fatue. Bentleius: AN. Quid tum? CH. Quid tum? quid, fatue? Impatientis est repetere illud Quid tum? Medium quid abest B H. De Fateor vid. ad 229. Molestior haec narratio est Antiphoni. alias res agenti.

566. vett. edd. et plerique codd: iste advenit Chremes adolescens frater virginis, Rogat, etc. Glosse-

mata delevi, eademque versum restitui: nam post trochaïcum catal. hic quidem non recte eiusdem metri quidam alii sequerentur versus, quasi iam certo statu orationis, affectuque defervescente, sed bene usurpantur iambici tetram. catal., quos excipiunt eiusdem generis versus pleni, et sic porro pro vicibus narrandae rei gestae. De glossematibus istis vid. sequens annotatio.

567. v. negare audere: Thais porro instare, ut hominem invitet, perditis numeris et putide, cum modo habuerimus Thaidi longeque elegantiora: illum admitti ut iubeat. Ceterum post hunc versum v. talia leguntur:

Id faciebat retinendi illius causa: quia illa quae cupiebat
De sorore eius indicare, ad eam rem tempus non erat.

quae quis non intelligat ab interpolatore profecta esse? nam consideremus modo, quis haec dicat, et cui, et quomodo. narrat ancilla secretum dominae prudentioris quam quae cum servis consilia communicet sua: vide supra 55, 56; narrat auditoribus, quibus ipsa Thais dudum, verbisque, opinor, lectioribus, rem aperuit. Iam, istis laciniis excussis, vide quam tersus atque elegans sit locus.

Sic et Aristophanis Equ. 946 prolixior interpretatio irrepsit ista τὸ τάλαντον λαβεῖν βȣλόμενος, ἐσθίων. tu legito:

— Ἐλθεῖν· ἔπειτα, πρὶν φαγεῖν,
Ἀνὴρ μεθήκοι, καὶ σύ γ' ἀποπνιγείης.

568. v. mansit. ibi illa cum illo sermonem, languida et falsa interpretatione. Pronomina, quae desiderabat Be., saepe sic omittuntur. vid. Hec. 124 sqq.

570. v. puer, m. l. Be. puer, i.

571. v. illa exclamat, metro minus facili, et ineliganter, cum sequatur: In convivium illam?

Consideret autem lector in hac scena artem Terentii, in delectu verborum eorumque germana proprietate, in brevitate orationis perspicua, denique in versu pro rerum conversionibus affectuumque commutationibus apte variato, declaratam. Et ut de hoc quidem subtilius edisseram, incipit scena a trochaïcis tetrametris, quorum prior etiam acatalecticus est, gravissimo metri genere, ad exprimendam ancillae summam sollicitudinem de domina, pessimis turbis implicata. Quae quo spectare videantur, ubi breviter indicavit, iam narrationem ipsam incipit, idque se facere

indicat alio illato versu, iambico tetrametro catalectico, vehementi illo quidem, sed moderatiore tamen iambicis plenis, quibus mox, iram militis a verbis ad rem processisse, ostenditur. Huic, longe aliis, sed aeque tamen violentis, affectibus commota, Thais respondet trochaïcis; finitaque iam narratione, ubi, quo voluit, pervenit, eodem metro, quo et domina, auctor sibi rerum omnium, usa est, et a quo ipsa incepit, denuo usurpato, naturaliter scenam concludit pedissequa.

Totum Terentium sic percensere lectorum esset diffidentis sagacitati. Sed unum hoc exemplum satis luculentum sufficere arbitror ad iudicandam Quintiliani sententiam, plus habitura gratiae esse Terentii scripta, si intra versus trimetros stetissent. Quem eloquenter exagitat Bentleius in Schediasmate de metris Terentianis.

578. v. opus est, durioribus numeris. p. esse subauditur.

585. potest. s. A et H. Vulgo licet, minus eloquenter.

586. Extrema linea amare. Imago procul dubio petita est a linea alba, ducta ante Circi ostia. Divinavit Zeune.

589. v. illum. Dedi istunc, illunc, ubi syllaba horum verborum posterior longa est: nam sic fere scripti.

592. v. ipsam capillo, quod Donatus sic accipit ut si esset capillum illi conscidit; qua auctoritate, nescio, id scio, neminem vel sic locutum esse, vel per linguae indolem etiam loqui potuisse. Ipsam, i. e. vultus, brachia, potioresque corporis partes: nam cur, quaeso, capillum modo in magna rixa? Ceterum hic in eodem colo diversa metra usurpantur, ut supra 572; quod affectum exprimit.

594. v. Vt ego unguibus illi in oculos involem venefico, versu item iambico; sed trochaïcos hic incipere, clausula iambica indicio est: siquidem eiusmodi clausulis mutationes metri indicari solent. Illi ab interprete est.

603. v. istuc, titubante versu: nam vox eunuchus tertium pedem occupare debet.

616. v. oh legitur pro eho, quod est in A B, reique convenit. C quoque ehohe, H ah.

617. v. Quid huc tibi, versu exasperato. Temere vel adduntur vel omittuntur passim hic, hinc, huc.

619. ne reposui pro vulgato non, ne versus laboraret,

raret, i. e. ne quidem. Fingitur Dorus non solum aufugisse a Thaide, sed ne Phaedriae quidem domi, quo primum se contulerat, manere constituisse: unde apparet, domi corripiendum non esse, quod Bentleio placebat, sed plene exaudiendum. cf. 661. Ne et non saepius confusa. vid. ad 175.

626. v. nam quem? alium etc., ob non intellectam elegantiorem formam alium quem. hoc verum esse, ostendit versus: nam alium necessario acuendum est.

629. Post hunc versum v. talis legitur, prorsus *ταυτολόγος* et Terentio indignus:

Nunc tibi videtur foedus, quia illam non habet.

Mirum autem est, quantum indulserint sibi in hoc genere librarii, velut et carminis illius, quod habetur Aristophanis Lys. 1250 sqq., *τῶ ἄπερ* adscribendo *οἷον* vel *οἷα*, quod mutatum postea in *οἰῶ* sequentem versum invasit, verbumque *ἴετο τῶ ἤνσει*, sententias pariter ac metra perdiderunt. Locus quia elegantissimus est vulgoque fere *ἄμετρος* legitur, totus proferatnr secundum nostram emendationem.

ΧΟΡΟΣ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ.

στροφή. Ὅρμαον τῶς κυρσανίως, ὦ glycon. polyschem. hyperc
Μναμοσύνα, τὰν μῶαν, dactyl. trim.
Ἅτ᾽ ἄμμ᾽ οἶδε, τώς τ᾽ Ἀσαναίως, dochm. catal.
Ὅκα τοὶ μὲν ἐπ᾽ Ἀρταμιτίῳ composit. ex 2 anapaest. et paeone 1.
Πρόκροον θείκελοι ποττὰ κᾶλα, antispast. dim. hypercat. ἰαμβίζων.
Μήδως τ᾽ ἐνίκων, iamb. penthemim.
Ἀμὲ δὲ Λεωνίδας ἆγεν ἅπερ κάπρως, dochm.
Θάγοντας τὸν ὀδόντα· pherecrat.
Πολὺς δ᾽ ἀμφὶ τὰς γένυας ἀφρὸς dochm. catal.
Ἤνσει, πολὺς δ᾽ ἅμα καὶ κατὰ σκελῶν ἀφρός. iamb. senar.

ἀντιστρ. Ἦν γὰρ τὤνδρες ὐδὲν ἐλάσσως
Τᾶς ψάμμας, τοὶ Πέρσαι·
Ἀγρότερ᾽ Ἄρταμι σηροκτόνε,
Μόλε δεῦρ᾽, ὦ παρσένε σιά,
Ποττὰς σπονδάς, ὅπως πολὺν μὲν
Χρόνον συνέξεις,
Νῦν, φιλία δέ τ᾽ αὖ ταῖσιν συνθήκαις
Αἰὲς εὔπορος εἴη,
Καὶ τᾶν αἱμυλᾶν ἀλωπέκων
Παυσαίμεθ᾽! ὦ δεῦρ᾽ ἴθι, κυναγὲ παρσένε!

634. Colore mustelino. Intelligitur ex Donato, fuisse olim, qui errasse hic Terentium autumarent, non intelligentem Menandricum illud

— οὗτος δ' ἐστὶ γαλεώτης γέρων.

(lego autem οὗτος δ' ἐστὶ pro vulgatis nihili αὐτοσὶ ἐστὶν, quae nec Zeunius male mutabat in αὐτὸς δ' ἐστίν.) nam mustelam dici γαλῆ, stellionem γαλεώτης. At Donatus ipse, sobrius criticus: Ego, inquit, Adesionem sequor, qui recte intellexit, Terentium scientem mustelino colore Eunuchum dixisse coloratum, velut sublivido: quia vere Eunuchi aut ex candidissimis lentiginosi fiunt, ut ex Gallis et huiusmodi Occidentalibus, aut ex fuscis sublividi, ut ex Armeniis et aliis Orientalibus. Sic ille. Quem sequi debuit Bentleius, nec committere, ut in fraudem ipse illiceretur ab istis grammaticis, qui Latina ad Graeca, obscura diligentia, exigentes, non poëtam cupiebant Nostrum, sed verbum de verbo convertentem fidum, quem ait Horatius, interpretem. Quis enim audiat illum, stellionino reponentem pro mustelino, quasi color mustelarum aeque incertus sit atque equorum et canum? Imo mustelae pleraeque omnes, testibus ipsis Gesnero et Agricola, quos Anglus laudat, in dorso et lateribus rutilae sunt, raro subfulvae, rarius etiam totae candidae, et frequentissimas hic intelligi, consentaneum est.

642. Ita producit posteriorem syllabam, ut p. vid. ad Phorm. 197.

643. V. post hunc versum sic legitur:

DOR. Non; nec quis esset, unquam audieram dicier.

PH. Vnde igitur fratrem meum esse sciebas? — sed friget prior horum versuum, abestque codicibus Bemb. Basilic. et Bentleii Academico; quare is recte illum omisit, et, deleto igitur, pro binis unum versum exhibuit.

645. v. Dicebat eum esse, ex int.

648. Vitiatum accentum retrahit propter vocalem, quae sequitur. s. p.

649. v. Quid isti credam? quasi non credens.

652. Eam. sic omnes Bentleiani et nostri, non ea, sicut vulgo. Recte Anglus eruditus: Indutus est eam, inquit, perinde est ac: ipse se ea induit; at indutus est ea perinde ac alius eum veste induit, tanquam mancum aut mortuum.

Ceterum recte hic legitur deductust, i. e. deductus est, ipso versu id flagitante. neque ego tales contra-

ctiones omnino improbo, sed rariores esse dico, siquidem saepe inutiles, cum verba εἶναι et esse p. omittantur, scripturas autem has et similes, meritu's, forti's, pro meritus es, fortis es, quas Be. induxit, auctoritate carere censeo.

654. v. Etiam nunc non, versu abundante. Be. non omisit.

658. Sequere hac. Quasi ad tormenta. Donat. Domum secum abducit eunuchum Phaedria.

660. abierim. v. hinc abeam, m. l. Pro quo Be., nescio unde, abscedam. Codex Berolinensis B. subobscure abieram. Addidi ego, ut recte acueretur abierim. vid. ad 940.

661. Hoc in ipso limine domus suae Phaedria intranti Doro. Ludificabere, i. e. aufugere conaberis.

664. Gu. 1 suades.

666. Quod scis, nescis. Proverbiale est rem consulto reticentis. cf. Heaut. 696.

676. Celebratum dictum. Euripides, incertum ubi, ex nostra emendatione:

Νεκρὸν Ἀφροδίτη δίχα Διωνύσου τε καὶ
Δήμητρος.

quae v. ex interpretatione inconcinne sic leguntur:
νεκρὸν Ἀφροδίτη Διονύσου δίχα καὶ Δήμητρος.

678. Illud Eho habetur in B, nec spernendum mihi videbatur.

684. v. — veniat; atque vel atqui. Ac, unde fecerunt atque, natum ex antecedente syllaba.

687. Nostri quoque omnes codd. expecto, i. e. expeto, ut Be. reposuit, non expectabam, ut vulgatae. Recte vir summus: Ante et post in tetrametris plenis debacchatur Thais; at in hoc versu, dum Chremen salutat, defervet paulum ira, et catalectico utitur. Similiter p., ut Hea. 126.

696. v. nam, refragante versu: nam iambicum hunc plenum esse, demonstrant similes catalectici, qui plenos sui generis rite sequuntur, trochaïcos nunquam.

697. cum monumentis. Intellige vestes, fascias, crepundia, quae olim habuerat virgo, cum a praedonibus abrepta est: nam quae proprie dicuntur Latinis monumenta, Graecis γνωρίσματα, locum hic non habent, siquidem exposita non erat, sed forte periit.

703. Peregrinos fingebant hos milites, quos po-

pulo deridendos propinabant Comici poetae, stultos illos quidem et ridiculos homines, qui cum sub Ptolemaeis vel Seleucidis, vel, si diis placet, sub Alexandro ipso stipendia meruissent, inventas in bello divitias cum Atheniensibus scurris et scortis dilapidarent. vid. doctissima et elegantissima Boettigeri dissertatio supra laudata.

705. Menander apud Stobaeum, ex Bentleii emendatione:

Εὐηθία μοι φαίνεται, Φιλουμένη,
Τὸ νοεῖν μὲν, ὅσα δεῖ, μὴ φυλάττεσθαι δ', ἃ δεῖ.

Antea legebatur δηλουμένη pro Φιλουμένη, ut saepe in personarum nominibus peccatum est.

706. Menander ibidem:

Οἶμαι δὲ σωφρονέστερον τοῦ γ' ἐγκαλεῖν
Μετὰ τὸ παθεῖν τὸ πρὶν φυλάξασθαι παθεῖν.

Sic enim corrigenda puto vulgata ista ἄμετρα: Σωφρονέστερον δ' οἶμαι τοῦ μετὰ τὸ παθεῖν ἐγκαλεῖν τὸ πρὶν παθεῖν φυλάξασθαι τὸ μὴ παθεῖν. Plato, monente Zeunio: νήπιον, παθόντα γνῶναι.

713. vel quia simplex est, vel quia ebrius, pallium trahit Chremes. Donat. Adscriptum est in libro A: succinge, ne impediat te.

720. furum, i. e. militum, puto ob cognationem verbi latro, quomodo et Plaut. Asin. 3, 2, 8:

Has nunc legiones copias exercitusque forum.

Furum enim ibi et alius quidam vetustus codex et Guelferbytanus a me collatus. sed legendum forum, φώρων, antique; unde exstitit EORVM. locus Thrasone dignus. V. etiam male ibi: eae (cod. Guelf. hae) — copiae.

723. v. hoc non, vitiose.

726. Illuc est sapere. Hoc clara voce Gnatho, ad quod respondet miles.

727. v. Idem, minus bene. Ceterum Pyrrhum, utpote Romanis notissimum, Noster fortasse succenturiavit Alexandro, quem Graecus nominaverit, ut bene monet l. l. Boettiger.

729. vir. i. e. vir fortis. vid. ad 109. Aristophanes Equ. 390, 392: Δειλὸν εὑρήσεις. Κᾆτ' ἀνὴρ ἔδοξεν εἶναι. s. et nostrates: er schien ein Mann.

736. do. i. e. darem. Donat. cf. Heaut. 932, Ad. 339. Graecorum hoc imitatione, qui s. saepius, velut Euripides prima Hecuba: Ἕκτορός τ' ἀπόλλυται ψυχὴ pro ἀπώλετο.

739. Quid cum illoc agas? i. e. quid tali homine facias, tam impudenti? cf. Heaut. 265, 590.

741. omnium.... Interpellat conviciaturi orationem Gnatho. Ignavissime additum est in B. cf. sequ. annot.

743. non tu hinc abis? vid. ad Ph. 504. S. autem retundere adversarios non incipiuut, sed pergunt; quare τὸ Cave 741 non parasito, ut v., sed Chremeti, tribuo. Alia res esset, si abi diceret.

745. v. dieique, minus expeditis numeris. s. fide spe et similia inveniuntur, etiam apud Epicos. Versus desumtus ex Plauti Capt. 4, 2, 20, ubi codex Guelferbyt. recte huius pro eius.

747. tibi praebent B et C, H: tuum tibi. v. tuum, minus eleganter. Vero irati est: vid. ad Andr. 599. Canis, κύον, convicium utrique genti, quod non advertere inttpp. Aristoph. Lys. 363, ubi s. in posterum distinguetur: κ. μ. π. ἄλλη σου, κύων, τῶν ὁ. λ. Ambigui causa nominativus pro vocativo positus.

749. v. princ. eam esse, duris numeris.

750. os durum. i. e. impudens, ut contra mollis frontis dicuntur, qui sunt reverentes. Donat.

754. v. tu ais, Thais, insuavi homoeoteleuto, versuque frustra onerato.

756. ingenia. sic non nemo, nescio qua fretus auctoritate, edidit pro vulgato ingenium. Placet, quia sic vitatur homoeoteleutum. Similiter 876 meretricum ingenia.

771. v. misera; sed satis est infelix. Miserum, i. e. pessimum, Chaeream, ut 897. vid. ad Andr. 855.

776. v. commisisti. vel commisti; sed recte Be. commisi, et sic Donatum legisse apparet, siquidem recte is verbum lupo pro convicio accipiebat non Chaereae facto, sed ancillae. Sic autem ille: Bene dilatum tot occasionibus proverbium personae Thaidis adscriptum est: continet enim femineam reverentiam et meretricium sensum, reditque rursus ad minora convicia, quia videt, se esse convictam. Dolum igitur hunc ancillae putat Thais cum Chaerea compositum, quae suspicio digna meretrice et meretricis famula.

782. v. si non, cum adspicias, prave acuto verbo adspicias. Amat transponere verba Noster. vid. ad 346.

783. tum. Supplendum vide ex antecedentibus. Vide, quae est, graeco more dictum pro vide, quae sit. cf. 478.

800. Quid feceras? S. p. plusquamperfectum in perfecti vicem succedit, more Plauti et veterum, cum

minus etiam definitae essent sermonis formae. cf. Ad. 321, Heaut. 448, Hec. 755. Ph. 576. Sic etiam imperfectum adhibetur pro plusquamperfecto Ad. 81, 82, 247. Hec. 72.

804. v. monstrum etiam. Sed vide, quot voces hic concurrerent litera M terminatae: involem in capillum monstrum etiam. Vitare hoc solet Noster. Pythiadem manus iniicere voluisse puero, ex sequentibus patet.

805. Debeam quidquam. Sancitum erat Atheniensium legibus et 12 tabulis, qui iniuriam alteri fecisset, seu libero seu servo, aere mulctari. Nescire id videtur serva.

825. tam. s. B Gu. 1 et Donatus. quod placet prae vulgato ita, ne tres continuo voces elidantur.

851. v. an quia pudet? ut p. a et d literae permutantur in codd. certe longe fortius quid; atque id ipsum invenerat Donatus, qui sic: „Haec interrogatio irrisionis plena est in eum, quem nihil pudet." Viden', hoc nihil ad Terentianum quid referri? Sic sane est, neque id moror, quod huic annotationi vulgata lectio praescripta legitur in libris. vid. ad 163. Quid non sine emphasi pronuntiandum, leniter tamen, utpote in levi persona, ne adolescens offendatur.

854. Quid, quid. vid. ad 260.

856. Move. Sic Theocrit. idyll. 15, 29: — *κινεῦ δὴ, φέρε θᾶσσον ὕδωρ.* Lindenbrog.

857. v. Te, nutrix, quod correctoris est. male autem encliticum primo versu ponitur. vide etiam ad 340.

866. Exeo, ut 442, Faernus eleganter dedit pro vulgato exibo. cf. Heaut. 782. Similiter Graeci, velut Aristophanes Equ. 431: *Ἔξειμι γάρ σοι λαμπρὸς ἤδη.* Non amatur prima regione trochaïci spondeus, Graecisque prorsum inusitatus est.

869. v. Quantum et quam, male eliso quantam. et longe elegantior nostra lectio. cf. 991.

872. v. eam, male. correxit Be. praeterea nihil mutandum censeo.

880. v.: Quae cum amatore cum coenant, ligurriunt, quae ita displicebant (merito autem displicebant) Bentleio, ut totum versiculum delere quam emendare mallet; nimis calide hoc quidem. Ligurrire quid sit, unus Suetonii locus, Tiber. 45., satis ostendit. Novum autem orationis membrum incipi verbis Nec magis, maxime τῷ quicquam intelligitur, quod si abesset, recte uno tenore dicerentur illa: nil vide-

tur mundius, nec magis compositum, nec magis elegans; nunc minus. Bene opponuntur inter se compositum et inhonestae, elegans, quod ab eligendo dictum est, et avidae cibi: nam aviditas non eligit. Ceterum in hoc versu cum non eliditur, nota poëtarum in acutis monosyllabis licentia. Totum confer cum Lucianeo dialogo Crobylae et Corinnae.

891. v. Quid istuc, Pythias? Quid ais? minus recte. Sic et infra 922. vulgatae: quid est? quid trepidas? sed codd. Bentleii et nostri A C quod posteriore loco.

896. v. Scis eam civem hinc esse. invenuste.

899. Hem omnes nostri, et apte in re atroci infertur trochaïcus plenus.

901. Quod moechis solet. Abdomen adimere. soliti etiam παρατίλλεσθαι vid. Horat. sat. 1, 2, 132.

914. v. Ego abeo intro, tu isti narra omne ord., ut f. s., latente verbo omne. sic onerantur versus. Abeo ita p., ut 967.

940. v. Reliqūum, tantum est. At docuit Be. ad Heaut. 219, quod innumeris exemplis probari posset, verba qualia sunt calamitas, mulieris, hominibus, peniculo, adimerent, ceciderit, recipimus, commemineram, restituere, Myconius, Glycerium, accentum in quarta ab extrema syllaba habere ex veterum more, non, ut recens receptum est, in tertia, cum magis ad Graecorum in hoc genere consuetudinem accommodaretur Latina lingua. atqui reliquum veteribus fere tetrasyllabum est. vid. ad Andriae prol. 25.

951. v. quid est, inepta? sed quid arbitror fuisse QVID, i. e. quid id; certe versus poscit quid id est, non quid est, et sic ante Parmeno: quid hoc autem est?

955. v. te abest, minus recte.

957. an poenitebat flagiti, i. e. annon solidum tibi visum est flagitium, nisi etc.

960. v. quid est? asperioribus numeris, et praeter necessitatem. cf. 956. quare Be. est omisit, et sic codex B.

969. ceptas, i. e. coeptas, etiam nostri B C H, ne de suo dedisse id Bentleium quis existimet. v. male inceptas.

974. videram. vid. ad 800.

975—77. Haec vulgo sic habent:

O populares, ecquis me hodie vivit fortunatior?

Nemo hercle quisquam: nam in me plane di potestatem suam
Omnem ostendere, cui tam subito tot contigerint commoda,

ut primus horum versuum sit trochaïcus, duo reliqui iambici. Sed causa non est, cur in eodem statu et affectu mutetur metrum; mutari satius est, ubi Parmeno conspicitur; nec placet, in thesi occultari verba nemo et omnem. Ceterum v. legitur contigerint pro eo, quod ex melioribus libris protulit Faernus, congruerint. cf. 991. Berolinensis quoque liber B congruerunt, quod et ipsum ferri potest.

983. Thais — dedit se. Recte Adrian. Turnebus Advers. 12, 10.: Hoc more et instituto Atheniensium, apud quos, qui cives non erant, sed inquilini, patronum aliquem sibi optabant, quod προστάτην νέμειν dicebant. qui autem patronum non habebat, in ius eo nomine vocabatur, appellabaturque illud iudicium ἀπροστασίου δίκη. Patronatus quam late patuerit apud Romanos, docet Heinecc. Antiquit. Rom. iurisprud. illustr. p. 55 sqq.

993. V. sine distinctione:

Serva obsecro haec nobis bona (vel bona nobis). PH. di vostram fidem, incredibilia
Parmeno modo — adest,

quasi una haec scena esset, quod falsum argüit versus 986. Atqui rite distinguitur post bona in libris A B C. Imo verba Serva, obsecro, haec nobis bona, pro clausula iambica accipienda sunt, Phaedriaeque gaudium erumpit in trochaïcum plenum, quem pro clausula sequitur eiusdem generis versus dimeter, sicut 691, Heaut. 126.

998. v. spei, ex int. spe veteribus idem valuit.

1002. v. quodvis donum et praemium, putide. Be. copulam omittere satis habuit. Ceterum Menander:

Εὖξαι, τί βούλει· πάντα σοι γενήσεται.

1006. v. O Thraso, ut passim literas versuum initiales appingere obliti sunt librarii. Certe o friget, eho aptissimum est. Simile peccatum vidimus 616.

1011. Non cognosco vestrum tam superbum. i. e. non c. vos t. superbos. Graecorum haec imitatione dicuntur nam sic illi τοὐμὸν, τὸ σὸν, pro ego, tu. Confert Be. Plaut. Trin. 2, 4, 44.

1019. lubenter vivis. i. pro lubitu tuo vivis, bene vivis, ut ipse iam sua explicat.

1020. v. et necesse est, vacillante versu. et eleganter abest copula.

1021. v.:

— tuo ad
Omnia haec.

Be. tuo omnia, bene quoad sensum; sed unde istud ad? Nempe scripserat, puto, Noster quod (sexto casu) Omnia. Charisius ex nostra correctione: Haud u litera terminatum (ȣ enim graeca vox est) d litera terminari apud antiquos coepit, quibus mos erat, d literam omnibus pene vocibus vocali litera terminatis adiungere, ut Plautus (Curc. 1.) Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras? Sic ille, recte quidem, sed nimis obsoleta recolere in hac quidem editione nihil attinet. vid. etiam ad Phorm. 260, 405, Heaut. 739. Haec abundat.

1025. v. neque istunc, minus recte. cf. 730.

1027. accipit. pascit, invitat. Donat.

1032. Ebibendum. Nonius voce propinare: Terentius Eunucho: Hunc vobis comedendum et bibendum et deridendum propino. cf. Heaut. 203, Plaut. Trin. 2, 1, 20. v. deridendum, quod recte displicebat Bentleio: nam parasiticum est derideri et arridere, non deridere. Lindenbrog ad h. l.: Sic Spartianus in Antonino philos.: Venenatam partem fratri edendam propinans. Graeci προπίνειν ἀντὶ τȣ̃ χαρίζεσθαι. Scholiast. Pindar. Olymp. od. 7. Philostrat. de vita Apollonii libr. 3. προπίνω σοι ἄνδρα Ἕλληνα. Marcellinus in Hermogen.: τοῖς πολεμίοις τὰ κοινὰ προπίνειν προαιρούμενος.

1038. elegantiam, i. e. leporem sermonis Attici. Be. Sic Faërni libri veteres. cuius verbi interpretamentum est, quod vulgo legitur, eloquentiam.

ANNOTATIONES IN HEAVTONTIMORVMENON.

Sulpitianae periochae versu 4 legitur reversus est, m. l., nisi scribas reversust, quod duriusculum in novo auctore.

6. v. Vt eius Bacchis venit etc., obscure.

12. v. aliam Clitipho, minus bene.

Syrum paedagogum fuisse Clitiphonis, colligas ex 542.

PROLOGVS.

Versu 3. partes. partes prologi, quae adolescentium esse solebant, neque actorum quidem, ut ex Ad. prol. 22 et Plaut. Trin. prol. 16 recte colligit Be., nedum primariorum, qualis fuit Ambivius, totius gregis dominus, iam senex. Is enim ipse prologum hunc egit.

5. deinde, quod veni, eloquar. h. e. fabulam ipsam, ad quam agendam huc veni. Be.

4. Integra. a nullo tractata Latinorum, ut bene glossator apud Lindenbrogium, consentientibus Eugraphio et annotationum scriptore marginalium in libro Bembino. Vnde 7: Novam esse ostendi eodem sensu. Integram. novam, nondum doctam. respectu, ni fallor, Hecyrae hoc dicitur, quae plus semel relata vix stetit, cuiusque ne hanc similem existimarent spectatores fabulam, poëta verebatur. Tertio enim loco harum fabularum edita est Heautontimorumenos, secundo Hecyra, qua gloriam Andria inventam pene perdidit Terentius, auctam illam quidem deinceps in dies Phormione, Eunucho, Adelphis. vid. Sam. Petit. de ordine comoediarum P. Terentii.

6. h. e. una fabula, sed argumentum duplex: senes duo, adolescentes duo, amicae duae: varii prorsus affectus, varii eventus: qui tamen arte poëtae sic copulantur et contexuntur, ut in unam et simplicem fabulam coalescant. Sic iam T. Faber. Bembinus autem codex a prima manu habebat Duplex — duplici. Postea reposuerunt Simplici, ut ceteri ubique codd. Be.

Minus probabilis ratio videtur Lessingii dramaturg. Hamb. cap. 87, ubi sic vir elegantissimus: Es ist bekannt, was dem Terenz von seinen neidischen Mitarbeitern am Theater vorgeworfen ward:

> Multas contaminasse graecas, dum facit
> Paucas latinas —

Er schmelzte nemlich öfters zwey Stücke in eines, und machte aus zwey griechischen Komödien eine einzige lateinische. So setzte er seine Andria aus der Andria und Perinthia des Menander zusammen; seinen Eunuchus aus dem Eunuchus und dem Colax eben dieses Dichters; seine Brüder aus den Brüdern des nemlichen und einem Stücke des Diphilus. Wegen dieses Vorwurfs rechtfertigt er sich nun in dem Prologe des Heautontimorumenos. Die Sache selbst gesteht er ein; aber er will damit nichts anders ge-

than haben, als was andere gute Dichter vor ihm gethan hätten. Id esse factum — putat. Ich habe es gethan, sagt er, und ich denke, dafs ich es noch öfter thun werde. Das bezog sich aber auf vorige Stücke, und nicht auf das gegenwärtige, den Heautontimorumenos: denn dieser war nicht aus zwei griechischen Stücken, sondern nur aus einem einzigen gleiches Namens, genommen. Und das ist es, glaube ich, was er in der streitigen Zeile sagen will, so wie ich sie zu lesen vorschlage:

Simplex quae ex argumento facta est simplici. — Facta est. i. e. constat: nam Menandri magis hic labor significatur quam Terentii.

7. Novam. a nemine etiam Latinorum tactam. v. autem nunc qui, quasi novum quid illaturo prologo, a quo tamen, dicta natura fabulae, consentaneum erat scriptorem commemorari; invenuste quoque, cum proximo membro sequatur Nunc quamobrem.

10. has partes. partes prologi.

13. v. Sed hic, male. quod vidit Be. Saepe autem confusa sed et si, velut Ovidii Met. 13, 507. v. legitur si finita, at in codice satis bonae notae Berolinensi, quem contulimus, recte: set finita. qui liber, quoniam de eo dicere coepi, novo etiam versu ditat Nasonem Metam. 9, ubi post versum 414, nulla facta distinctione post annos, s. legitur in isto libro:

Addat, neve necem sinat esse ultoris inultam.

Versum autem illum, qui adscriptus fuerat in margine codicis Leidensis post versum undecimi libri 26, et emendatiorem praestat et rite insertum Berolinensis codex, ubi sic se habet:

Iam morsu petitur: cum circumquaque prementum,

qui locus legendo: iam circumquaque sanatus erit.

26. quare C quoque.

32. decesse. tanquam Consuli vel Praetori, lictorum iussu; quod ineptum. Perizonius et Be. dixisse, ut Lavinius Populum in scenam induxerit cum servo colloquentem: etsi enim in comoediis servus populum alloquatur, aut actor spectatores, ut Plaut. Capt. prol. 10, nihil tamen ab illis responsi ferre. Sed longe repetita frigidaque adeo haec ratio. Ceterum v. hic abest, frequenti lapsu. Insano. Lavinio. Expectes fortasse: nam cur insano hic serviat, i. e. inserviat? sed nec versus coniunctionem admittit, et fortius est asyndetum.

39. adsidue. intente, studiose.

46. pura oratio. i. e. mera oratio, quae laboriose agendis partibus opponitur.

FABVLAE versu 5. v. propinqua, obscure quidem; quod sentiens Be. reponebat: Quod ego esse in aliqua parte. vide, an nos melius. S. Demosthenes, monente eruditissimo Schneidero in lexico graeco: *ἐν μέρει εὐεργεσίας τοῦτ' ἀριθμήσει*, in parte beneficii hoc numerabit, i. e. beneficium hoc existimabit. bene autem amicitiae propinquum dicitur vicinitas. literae A et I p. permutantur inter se in MSS.

12. Meliorem, natura; pretii maioris, cultura. Duplex negatio negat Graecorum more.

10. B C Gu. 1: aut quid qu.? haud male quidem.

13. v. Servos, sententia obscura. Be. non plures. sequor Guyetum.

17. facere. s. etiam codd. B et H. v. ferre, quod sane ineptius.

19. v. voluptati tibi esse, ex int., frustra exasperato versu.

20. codd. agnoscunt dices, neque sane intelligo, cur hoc Be. expunctum voluerit potius quam operis (v. enim: hic operis fiat), quod minime necessarium est ad sensum, magisque offendit propter statim sequentia: Quod in opere faciundo. Expressi codicem C.

31. v. eheu, m. l. correxit Be., sicut Eun. 659.

42. at. s. vett. cdd., ut exclamationi p. at inservit. v. ah.

45. codd., etiam nostri omnes, addunt virginem ex int., ne meretrix intelligatur.

47. Codex Lindenbrog. et Gu. 1: Vbi id resc.

49. v. sed vi et via pervolgata p. male eliso vi, quod, si locum haberet, praecipuum sibi accentum posceret, via autem *μονοσυλλάβως* pronunciato, quomodo apud Terentium quidem nunquam. Et quaenam, quaeso, vis hic adhibetur? verbis molestus est pater, non re. „Adolescentulus, saepe eadem, et graviter, AVDIENDO victus est." Aberranti igitur oculis librario debentur verba vi et, pro pervulgata autem scribendum pro vulgata, i. e. secundum vulgatam patrum viam, maxime, ne caesura legitima versus careat. pro et per saepissime confunduntur in codd.

57. v. istuc, nisi nimio ex otio, vel, secundum Bentleium, nimio ex otio, scabris numeris, obscuratoque verbo nimio. Transpositum nisi vexavit homines; sed ita solet Noster. vid. ad Eun. 346.

60. v. simul rem, obscurato rem. Eugraphius simul et rem.

73. v. Video alios festinare. sed recte Be.: si iam videt, cur versu abhinc tertio narrat: Vbi video? Hoc non est venae Terentianae, praesertim in diverbio tam elaborato.

76. v. mea Solius solliciti sint causa, ut me unum expleant, numeris horridioribus rudibusque. Interpretis est illud causa, quod eleganter subauditur Graecorum more. vid. Vechneri hellenolex.

79. v. sed gnatum, solito errore. vid. ad prol. 13. si, etsi.

85. v. Inopem, car. patr. ob m. i., pessime obscurato verbo patria.

92. Inscripsi aedes mercede. h. e. aedes meas locavi. Eugraphius.

95. Decrevi. putavi.

102. v. hocque fit. mendose. plerique codd., in his nostrorum vetustissimus (nam is mihi videtur C): hoc ibi fit. alii MSS.: hoc qui fit, unde Be.: hoc quod fit. sequor equidem H. et s. pridem Muretus.

106. v. maxumum, vitiose.

109. v. Vtinam ita d. f., ex int. certe Calpurnius τὸ ita non agnoscit. Fuit hic Ioannes Calpurnius, cuius exstant animadversiones in hanc fabulam, Politiani aequalis, Brixiensis, denatus circa ann. Chr. 1502.

110. hic, rure, Lenaea, quae autumno agebantur.

113. v. Non convenit, qui illum ad lab. impulerim, m. l. Vaticanus liber impellerim, Victorianus impelerim, Be. ad lab. hinc pepulerim, nimis pro arbitrio. Impellerem, i. e. impellere solerem. cf. 50, 62.

118. Iam pulsat ostium Phaniae, quod in conspectu erat, atque audito responso redit in proscenium.

120. v. Pr. apud me esse, ex int., male quidem eliso verbo praesto.

133. Ita haec distinxi, ut appareret, coniungenda esse invitatum et amplius.

141. Cod. A reliquum est. haud male. Versu sequenti divitias pronuntiandum quasi esset ditias, liquescente u litera, sicut p.

143. v. Atque, prorsus invita sententia: leviter

enim tangit Cliniam senex, quod ex sequentibus intelligitur.

147. Legitur v.: nam in metu esse hunc, eliso verbo metu. Perfectum pro praesenti usurpatum. cf. 459. Hunc, Cliniam; illi, Menedemo.

153. Huiusmodi. s. B H, quod praestat ambiguo Vniusmodi vulgatarum. Tolerabilis. mitis, aequus: nam patres intelligit.

158. Be. Hoc in fine addidit ex Eugraphio, quicum faciunt nostri libri.

159. Coenae q. n. s. Ita verba ordinantur in codice A, melius quidem quam in vulgatis, ubi sic: nobis q. c. s.

168. Perii hic est mirantis, potestate rariore. cf. Andr. 899, Eun. 309. s. fere αἰβοῖ τάλας Aristoph. Lys. 547.

172. v. habeo, verbo nil obmutescente. saepe confunduntur inter se habeo et habebo. habebo, quamprimum ad illam venero.

173. v. sat agit, attamen. Elegans nostra, inquit Be., et antiquae monetae lectio est, etsi non tam diversa quam eadem, reperta illa quidem apud Charisium p. 193. s. Plaut. Bacch. 4, 3, 33. et post etsi inferre solent tamen, non attamen.

174. v. Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciae, ex int. et male acuta voce artis; quod sensit etiam Be.

176. v. Tum, quod dem ei, recte est; i. e. tum, q. d. ei, nihil est; sed nihil dicere veretur, vel potius vereri se fingit, ne patri exprobare videatur avaritiam. Recte s. p., velut 466, Eun. 291. Dem absolute positum, ut ibidem 1020, ne elidatur. V. quoque: nam nihil esse, in thesi depresso verbo nihil. Gu. 1: nihil quidem esse.

179. v. hic corrupta sit, minus quidem usitate.

180. v. — opiniones, quae mihi animum exaugeant. Palmerius et alii exangeant. sed neque opiniones convenit: nam una iuvenis opinio est, non plures. quod persentiens Be. reposuit: opinionem, quae mihi animo exaugeant, bene quidem, quod opinionem, minus bene, quod animo: nam hoc quidem frigidiusculum mihi videtur. Facile mi anc (nam h litera, praesertim ab Italis, omitti solet) nimium transiit in mihi animum, nec raro nimius et animus inter se commutantur. cf. Eun. 50. nimium, valde, ἄγαν.

185. v. quid veri siet, omnino pessime. castigavit

Guyetus, probante Bentleio. s. infra, hoc quidem admonente, 779. v. quoque Pergin' istuc. sed ita nescias, iambicumne an trochaīcum legere incipias.

186. Be.: quando istuc iam erit? ingeniose, modo iam melius collocari posset: nam ita quidem vix audiretur.

188. codd. A H comantur, B comuntur, C conantur, recte, ut iam repositum.

192. video et valeo. s. alibi Noster vivus vidensque. vid. ad Eun. 28. Homer. Il. 1, 88:

Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο
Σοὶ κοίλης παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει.

Be.: vivo et valeo, quae p. quidem etiam ipsa coniunguntur; male nihilominus.

195. v. quid rerum? sed codd. affirmative. dedi igitur quod, i. e. ob id rerum, quod portant.

209. Be.: aspellere: nam expellere, ait, e loco, domo, urbe, finibus, passim habes; expellere ab amica nusquam. v. autem expellere. Frequentat illud Plautus, Cicero semel adhibuit.

210. gratum. vid. ad Eun. 345. Ceterum v. legitur: quod tamen nunc. sed opponi debent iam nunc et tunc, neque committendum, ut nunc lateat in thesi. cf. 324.

214. Cepimus. Bemb. fecimus, H facimus. sequor plures nec deteriores codd.

215. v. Quid est obsecro? minus recte.

221. enarrem. εἴποιμ' ἄν.

223. v. — ad aedes est, Dromo pultat fores, pravis numeris et male acuto est, occultato vero in thesi τῷ Dromo. codd. A et B pulsitat, egregie, ut saepius pulsatum esse indicetur, contra ac fieri solet apud meretrices, quibus die noctuque patent ianuae.

224. Perperam Be. aperit, siquidem in aperiendo ostio intrare nemo potest, aperto potest. sed quod versu sequente idem reposuit coniicit pro vulgato coniecit, id quidem vehementer est probandum.

233. Menander:

Ἐξ ἱστορίου δ' ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ.

237. v. Nulla mala re esse exp. m. Sed esse ex sequente ex — natum esse, cum hic alienissimum sit, statim colligitur. iam vero laborat versus, atqui codd. nostri omnes, item Faērniani praeter Bembinum, et Bentleii sex, malam, non mala. hic igitur latebat vitium. Malacus, malacum pallium, malacissare Plautus. Verbum ignotius cito depravatum fuit.

238. v. C. p. prolixus, c. c. Dormitabat bonus Bentleius, cum tales numeros ferendos putaret in Terentio. nam quod reponit, promissus pro prolixus, nec versum id iuvat, nec sententiam restituit loci. Graphice describitur puella inornata, non fucata, capillo passo et prodigo, i. e. denso (ut passim μεταφορικῶς adhibetur prodigus) ac prolabente, itaque reiecto negligenter circum caput. d et l literae saepe vix dignoscuntur in codicibus.

239. Pax. Hoc male servo attribuitur.

241. Menander apud Victorium, Var. Lect. 9, 15:

— καὶ θεραπαινὶς ἦν μία·
Αὕτη συνύφαινε, ῥυπαρῶς διακειμένη.

243. v. Si haec sunt Clinia, vera, ita uti credo, eliso et extra ictum posito verbo vera.

245. Scin' tu omnes nostri, sicut ét MS. Lindenbrogii. et s. solet Comicus. v. Scin' hanc. Sordidae. dominae. v. inepte: sordidatam et sordidam.

247. v. Cum eius tam neg. int. sed codd. fere: negliguntur eius. Tam p. addidere monachi.

252. H diximus.

253. desinit. s. Bemb. v. deserit, quasi aufugisset a tela. Desinere est intermittere, ut recte Guyetus. s. ordiri telam Plin. 11, 28. Plaut. Bacch. 2, 3, 116. s. desinere artem, versus, luctum.

254. v.: os totum sibi, Vt facile scires, desiderio id fieri tuo, prorsus inconcinne. B.: scias; sed id requireret factum esse, non fieri.

260. v. ducis. sed B. Gu. 1 H et Lindenbrog. liber (nam abducis manifesto falsum) adducis, proprie et vere.

265. nec memorabile. Sic nonnulli codd. Bentleii, qui tamen ex coniectura dedit commemorabile. Ego, dum ullo modo fieri possit, scriptos sequor. v. inconcinne magnum et memorabile.

265. Quid illo facias? Indignantis hoc est, diciturque Cliniae. cf. Eun. 781. Idem valet Quid cum illoc agas? ibid. 739. Be. tamen illa. At acerbum aliquid in Syrum dixisse Clitiphonem, ex servi sequente oratione intelligitur, qui quidem, Bacchide quid faciendum esset, interrogatus, aliter haud dubie respondisset. nunc accusari apud Cliniam, id vero mordet hominem. Ceterum sinis, quod dedit Be., liquido perscriptum legitur in cod. B.

268. v. iniurius Clitipho est: neque f. potis est. CLIN. Audiendum etc. sed omnes fere codd. post

tace

tace addunt: CLIT. quid est? cod. autem noster B: quid id est? optime. Transposita haec sunt. nam aliquid interturbasse Clitiphonem, apparet ex sequentibus. Nomen Clitiphonis ex glossemate irrepsit.

271. v. Tuum esse. sed quis fando audivit, sic locutos Romanos: tuum esse periculum non vis pro periculum esse non vis, vel tibi esse non vis? contra pluribus similibus enumeratis, in extrema sententia usurpari tum solet. Noster Andr. 240:

Laborat e dolore atque ex hoc misera sollicita est, diem
Quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae. tum autem hoc timet,
Ne deseras se.

cf. infra 970. Atque dilucide H: tum.

273. v. haec, quasi hic quoque iambicus esset versus, obscurato quidem verbo gravissimo. Elegantem lectionem trahenda itidem debes libro Helmstadiensi: nam v. ex int. legitur habenda.

277. Tum quod argentum illi. s. A. v. T. q. illi arg., minus eleganter.

282. v. An ea quoque, occultato in thesi verbo ea.

283. v. ad tuam matrem, ex int.

287. v. huiusmodi, invitis nostris omnibus et Lindenbrogiano, qui: istius modi, quod contemnentis adeoque verius h. l. Versui timebant librarii.

290. Basilius Magnus Πρὸς τοὺς νέους· Ἐπ' ἄμφω καθεύδουσι.

292. Verum. Hoc Cliniae dicitur. cf. 296.

295. v. hic versus antecedenti praeponitur. correxit locum ex Eugraphio Be., qui quidem cur reponat Di dant pro Datur, non intelligo.

300. iudex. Be. inlex, ut est Plauti Poen. 3, 4, 35. Asin. 1, 3, 68. sed quod illi displicet, verbum accusandi in iudice, id vero pulchrum esse oxymorum adeoque vulgatae lectionis probare mihi videtur veritatem.

301. v. Ridiculum est, frustra onerato versu.

304. huic homini. mihi. vid. ad Andr. 282.

305. ne utiquam. s. plane codd. B et C, non, ut v., coniuncte: neutiquam. recte quidem: nam ne eliditur, animadvertente etiam Faërno. vid. ad Andr. 302.

306. v. scilicet, non recte, et istunc. codd. modo dicti: istum, quod suavius.

315. inopia. sui. Calpurn.

316. v. apud te hoc quam. codd. nostri et vett.

edd. ob hoc. sed supervacanea haec pessimeque collocata, ut vel hinc, supposititia esse, intelligas. Eadem. una opera. vid. ad Eun. prol. 7. Bemb. gratissimum, quod invita sententia recepit Be.

326. v. non sinam, inquam, et minus et κακοφώνως.

330. v. studuisti, isti, itidem offensis auribus.

331. Omnes nostri: quisquam, ut sententia requirit: nam unus tantum expetit, Clinia.

343. v. Vt nunquam ulla, minus bene.

347. v. nam dum abs te absum, omn. mihi lab. fuere q. c. l., pravis accentibus rhetoricis. Gu. 1 omittit verba abs te.

350. v. — tuum vidi diu esse habitum, diu etiam duras dabit, quae mendosa esse, omnes confitentur. Bentleius, deletis verbis esse habitum, ex coniectura dedit: — vidi, partes diu etiam duras dabit, nimis pro arbitrio. Si nos audias, servus non male autumabit, qui sibimet non parcat, eum etiam aliis, imo filio, durum se praebiturum. atqui parce ac dure egerat ex abitu Cliniae Menedemus. Saepissime literam h male inculcant librarii, et ss vel s cum x permutant, scribentes exurituros, pexima, Ulixes et similia.

368. v. egregio, quatuor deinceps vocibus o litera terminatis, haud pro Terentiana elegantia. Ingenio, natura mea. miseriam, moerorem, aegritudinem. sic etiam A H. v. miserias, minus significanter.

370. v. Dici diem, quo merito offensus criticus Anglus expunxit Dici, reposuitque Diem tandem, durissime. Dies omnia et afferre et auferre dicitur. Cicero ad Div. 5, 16: quod est dies allatura, h. e. quod tempus allaturum est, quo sensu et Graeci suum ἡμέρα frequentant. Gnomicus:

Dies quod donat, timeas: cito raptum venit.

Scripsimus autem die, veterum more: nam diei semper baccheus est, ut supra 116. Diphilus:

Λύπης δὲ πάσης γίνετ' ἰατρὸς χρόνος.

374. Sed. s. p. denuo incipiuntur orationes: cf. Ad. 694, Ph. 796; quomodo et Atque solet usurpari, velut Hec. 189, 297.

377. v. CH. Valet atque vivit. M. Vbinam etc. sine lepore et sale. dicturus erat Chremes: valet atque apud me est. quem interpellat impatiens pater.

387. v. Ah! vehemens etc., ut p. inter se permutantur ah et at. non placet exclamatio in homine quietiore.

390. v. atque ex illa incides, ex int., male deproperato verbo illa.

400. v. Oneratas, frequentissimo librariorum lapsu: nam Phorm. 805 quae leguntur, onerare et exonerare et humerum onero pallio, vernilis sunt facetiae.

404. v. D. quod si. Sed cod. C: quae si, procul dubio vere.

406. Sic hoc, intellecto est, dicere solemus, cum quid vel improbamus, vel mediocre esse ostendimus. Faërnus. cf. Phorm. 111, Andr. 774.

409. v. O. s. habui, m. l., verbo sollicitos obscurato. Be.: habuit; sed potior Mureti ratio.

420. Illos ibi esse. i. e. hanc rem agitare. cf. infra 932. s. et Istic sum Hec. 57.

421. v. Syrus cum illo vestro, correpto verbo Syrus, quod non committendum.

425. v. periclo id demus; putide. vid. ad 176.

429. v. abest ei, requisitum id quidem ab opposito tibi, propterea que etiam assumendum, ne non elisi verbi nequitiem accentus offendat, sed, sequente vocali, retrahatur. Be.: Quantam eii fenestram; sed dialyses has et similes eii reii speii hospitaï Cliniaï elegantem neque Epicorum obsoletiora sectantem usurpasse Nostrum, admodum dubia est res. accedit, quod isto pacto vox gravissima Quantam elideretur. vid. ad Andr. 372.

432. v. Quodcunque inc. in m., volet: neque id Put. pravum an rectum siet, quod petet; turbatis numeris. nonnulli codd. Faërno memorati: pravumne. Agitur de solo Clinia.

436. v. abs te esse, illico minabitur. sed putide repetitur illico, scilicet optime quadrat loco. vicina — seillico, scilicet.

440. v. restituerem, turbata consecutione temporum.

445. post hunc versum v. inculcantur 457 — 59. animadvertit vitium Be.

447. v. hic, nulla vi. codex A. hi, unde apparet, scriptum fuisse hice, ut p.

451. A et Eugraphius Itan', H Tam, Lactantius de falsa sap. 4. Ita enim comp., quae scripturae eodem redeunt. forma haec usitatior.

454. v. nimio, ambigue: nam ad utrumque nomen, gaudium et aegritudinem, referendum est.

456. Etiam C otiosius, i. e. otiosus, ut meliores Faërni et Bentleii libri. v. ocius.

457. omnes nostri et vett. edd. apprehendendus, quod vividius vulgato prehendendus.

459. v. congruere, labante versu: nam congruére dixisse veteres, quemadmodum dixere fervo, fulgo, strido, tuor, item fodire, linire, sallire, moriri, arcessire, non probat Muretus. S ab R vix discerni saepe in vett. codd., ut rerum pro serum, rector pro sector, scriptum esse videatur, bene monet I. F. Gronov. observatt. 1, 15. Congruisse pro congruere, ut praescisse Andr. 211, metuisse supra 147, extulisse Hec. 508.

460. v. est. Egregie Be.: Circumcursa quorsum hic? se ipse, inquiunt, Syrus alloquitur. Esto: sed profecto non circumcursando, sed sedendo, stando, cogitando, quaerendum erat argentum. Deinde quid est Tamen? an pro Tandem, ut olim Goveanus? an legendum Enim cum Guyeto? haeret sane sententia, neque est coloris sani et Terentiani. – Argentum ipsum Syrus compellat, vernili facetia: Quacunque aufugias, o argentum, tamen inveniundum es. Emendationis huius sponsorem et praedem tibi sistam Syrum ipsum 4, 2, 1. Argentum fugitivum, illud scilicet ipsum, quod circumcursat. et nota, tamen eodem modo quo hic poni.

465. v. haec audivit, frigide.

467. v. nil nimis. sed sic asseveraret, nimium bibisse dominum; quod impudentis.

470. v. CHR. Sane idem visa est mihi. SY. Et Forma etc. Qui mores novit, tepidum in vehemente sene iudicabit istud visa est mihi, idemque aptissimum personae servi cauti, qualem se praebet Syrus. cf. 468. Atque vett. edd.: CHR. Sane. SY. Idem etc. Natum SY. idem e quidem. Sane, vel Sane quidem, approbantium est interdum ea, quae aut nostra non magnopere intersunt, aut minus lubenter audiuntur. vid. Andr. 167, Eun. 310. Impatiens et ad aliam rem properans Chremes apte quoque interturbat.

474. v. miserum atque aridum, minus bene. misere, male. vid. ad Andr. 855. Sic 597 misere religiosae.

475. v. continue: V. h. n. at q. is non d. Abundet, quasi haec omnia servus diceret; sed ita vim suam At non obtineret. nunc, igitur, quod verbum saepe cum non confunditur. Quod se quasi nosse dicit Menedemum, respicit ad 459.

483. v. mendose: servaret.

488. Iam huic mans., versu manco, cui succurrens

Be. reponebat huic iam. sed bene Gu. 1 Iam primum huic. Iam prave additum fraudi fuit genuinae voci. Primum τῷ nunc respondet.

503. v. vides; sed quid tunc faciemus sequente Et?

507. v. commodius nunquam. codex C dilucide: quicquam.

508. v. Nec, quum malefacerem, crederem etc. Sanavit locum Muretus reponendo malefacere, non persanavit. creduam, creduis, Plautina sunt, perduint et similia etiam Terentiana. cf. 759.

518. v. amantium animos, inconcinne quidem. dudum emendaverat Palmerius.

522. v. nemo est meorum amicorum, ex int., turbatoque numero.

526. v. int. utcunque, atque ubicunque opus sit, obsequi. quae optime quidem correxit Be.; sed nec vulgata Sed nostrum est conveniebant.

530. Hercle tribuunt Clitiphone, improbante Mureto, et recte quidem; sed scribendum quoque vero pro vulgato verum. s. p. hercle vero et non hercle vero.

531. v. verba eho — est? Chremeti adscribuntur, quem hic ἀπροσδιονύσως interloqui, quis non sentiat? Cogitabundus autem abstitit senex. Syrus primum admonere cupiens adolescentem, subito inutile visum mutat consilium et ad Chremetem convertitur, ut rem conficiat.

533. v. iube hunc Abire hinc, invenuste eliso verbo iube.

535. quasi desit locus. Similiter, ut mihi videtur, Aristophanes Lys. 600 χωρίον ἐστίν. εἰς τὸ ὑποδέξασθαί σου τὸ σῶμα· οἷον, ἐστὶ τόπος, οὗ τεθήσει, ut ait scholiasta.

539. Censen' vero? Familiaris compellatio, quasi dicas: cogita modo! hocne credidisses? quam inexpectatum hoc accidit!

540. Gu. 1 et H dent.

543. v. tecum egi, egisti? putide. In verbis quod dudum tecum elegans ellipsis est. cf. 708. Codd. B C H egistin etiam (nam v. abest etiam), bene, nisi egisti retinendum est.

545. v. Dicis? est. inveni. sed quorsum pertinet illud Est? codex A: inventa.

547. Vah Syro v. tribuitur. cf. 713.

549. v. Hic; huic drachm., ambigue.

550. v. quid tum? S. ea mortua est: reliquit filiam

adolescentulam; Ea relicta huic etc. Quid? s. p., velut Eun. 553.

553. Clinia. s. omnes nostri, quod elegantius vulgato Cliniam. Ceterum locus difficilis v. s. se habet: sibi uti id nunc det: illam illi tamen Post daturam m. n. poscit., CH. Et poscit quidem. Codd. parum iuvant, nisi quod A et B exposcet, C et poscet, ut Faërni quoque nonnulli libri. Aliquid hic turbatum esse, non est dubium. et Be. quidem s. refingi locum iussit: Cliniam orat (Bacchis), sibi ut id (mille drachmas) nunc det: illa (Antiphila) illi tamen, Post datum iri mille numum, praes sit. CH. Et praes sit quidem? Sed quid, quaeso, sibi vult illud tamen? quis post dare pro reddere usurpavit? quis ferat mirantem senem: Et praes sit quidem? quasi mirum sit, arraboni cuipiam, praesertim adolescenti, puellam relinqui formosissimam? denique, si omnia dicenda sunt, verba praes sit tam graviter, et bis quidem eodem loco, corrupta esse, cuinam persuadeat Bentleius? Atqui aliorum vel explicationes vel emendationes longe etiam sunt infeliciores. Nova igitur medicina circumspicienda erat. Parenthesis apte usurpatur: cf. Ad. 265. illam. Antiphilam, quae nunc praestitura Cliniae fingitur sicut ante meretrici. interim. dum renumeret argentum Bacchis. Vide autem pulchram gradationem: orat — poscit — exposcet?

557. v. in ea, minus usitate. in eo. i. e. in ea re. Be., quoniam plerique codd. exhibent esse, dedit: magnum esse in ea re lucrum. B C inesse, sicut v., H: magnum ei esse lucrum.

560. etiam C: qui istuc.

574. v. me esse gravidam et mihi te max. dicere. Be. me grav. — edicere. et edicere quidem legitur in Bembino et Victoriano. sed ceteri, quotquot innotuerunt, codd., etiam Berolinenses omnes et H: max. op. interminatum, quod cur spreverint, non video. certe, cum modo edictum habuerimus, putide infertur edicere, et aptissime usurpatur trochaïcus plenus. esse officit versui, quod vidit Be.

576. v. sic est factum. domina, ergo h. d. a. est. Optime Be., Eugraphium secutus, reposuit minor pro domina. sed recipienda quoque erat aliorum codicum (quibuscum facit noster A) lectio: si sic factum est, ergo autem delendum. absorpsit coniunctionem antecedens personae nota.

578. Operarum errore tantum legitur pro tantam.

586. v. — est! quid voluisti? nulla distinctio utroque loco in codd. A B.

591. melius peius. i. e. bene, male. vid. ad Ad. 613.

593. Etiam nostri libri agnoscunt tanto. codex A in margine: al': tanto esto ignoscentior.

594. v. Vt meae stultitiae iustitia. sed haec non recte opponuntur, et mox mulier: Vt stultae — sumus. ut iniustam Chremes notavit Sostratam 590 vicina vero iniustitiae et stultitiae.

596. v. male te, vitiose.

607. v. spei, quod correctoris.

610. v. mulieris, minus eleganter. vidit Be., qui et mox pro vulgato tempus est reposuit tempus fert, ut est in re simili Ad. 813 And. 160 Hec. 539.

617. Hercle. s. Calpurnius et nostri omnes. v. hac re, quasi iam dixisset servus, quod dicturus est.

618. v. aliquid. correxit Be. codex A non video, sicut v., sed provideo, quod versum sanat.

623. Menander:

Ἁλωτὰ γίνετ' ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ
Ἅπαντα.

624. v. quid si sic? m. l. Sic subaudiendum est, non scribendum, natum id, ni fallor, ex si. παθητικῶς orationem interrumpit suam homo. Be. pro egero reponebat ago, minus quidem probabiliter.

627. v. Nulla mihi res posthac p. i. tanta, Quae mihi etc., male collocato verbo nulla.

633. v. cui aeque, m. l.

648. cod. A: patrem? dare mihi uxorem,
Cum viderit me habere amicam.
quae facile quidem additis pronominibus redigi in versus modulum possent: sed si totam rem sic disertis verbis aperuisset, non tantum significasset leviter, Clinia, quorsum pertinerent ista: tenes, quid dicam? quare interpretamentum hoc putandum est.

649. v. Quid dicam? invenuste quidem. qui, i. e. cur, quamobrem.

650. v. narrato. sed recte Be.: dicturus erat Syrus Iubes, quem Clinia, admiratione percussus, interpellat dicendo: quid ais?

653. v. continue: Et scilicet — Syro rectius Et tribuitur, pergenti imperare.

654. v. Senem nostrum, ex int. vid. ad 951.

657. v. hic me, minus bene. hoc, consilio.

658. v. tantae ast. verum divinavit Be.

663. v. parvi pendis, vel curas, ut nostri. nempe

utrumque glossema est, intelligendumque facis, omissum id Graecorum more. vid. Bos v. ποιεῖν. cf. 686, 986.

672. — Promissa —, Decem minas quas etc. i. e. promissa, decem minae, quas, ut recte Be., conferens 602, Andriae prolog. 3.

673. v. ut veniam. sed ineleganter componuntur ut veniam, frustra veniet. Huc pertinet Goveani lectio, codicibus, ut reor, debita: aut frustra veniet.

678. dormiunt. quiescunt, securi sunt. cf. Ad. 667. Aristophanes Lys. 15. Εὕδουσι κοὐχ ἥκουσι. V. autem ego pol istos, m. I., quod sensit Muretus. Pol p. initio sententiarum, velut Ad. 267, Ph. 537.

686. quin, i. e. immo. repetit Bacchis Syri verbum, ut mos est iratorum. Calpurn.

687. multi codd., in his nostri: quid sodes facias? ex int. Similiter nostrates: weiſst du was? Iam, additum a Bentleio, praebet H.

687. v. trans. nunc tibi. sed omittitur nunc in codd. A et B; C autem: transeundum quid tibi etc. quod non spernendum duxi, utpote iratae admodum conveniens.

690. V. non assequuntur loci sententiam. Interrogat Cliniam Bacchis, an etiam in domo paterna res sibi cum illo futura sit, ut fuit apud Chremen. Respondet pro Clinia servus, minime id futurum, sed suum amatorem Clitiphonem illi redditum iri. hac, ut mox huc, quia vicinae Menedemi aedes.

691. sequere hac. v. haec Syro tribuunt, qui in scena aliquantisper etiam manet. male. Phrygiae dicit Bacchis.

704. ironice repetitur filius.

706. v. hem quid est? A mala manu esse quid est, glossema τοῦ hem, versus argumento est.

713. Interrogationem hanc putant, inepte quidem. Gloriari Syrum iubet, fallaciam verbo Vah demiratus, iamque ad rem venire cupiens, Chremes. nec signum interrogationis conspicitur in H.

714. v. Non hercle vero, verum dico. pessime. Nondum rei convenit, siquidem aliquid superest fallaciae, ut ex sequentibus apparet, et verum valet sed. Dicturus erat Syrus: — verum dico, me dolum struere coepisse; quem, pro more suo, interpellat impatiens senex.

716. v. et ea gratia Secum adduxisse. Be.: ea gr. Se eam traduxisse.

725. v. ei, vacillante versu. p. commutantur inter se haec pronomina.

728. v. Non? quamobrem? correxit Be. In codicis C margine haec adscripta verbo homini: fugitivo darem, sive implicito meretricio amore. haec in ordinem recepta olim fuisse, ex Calpurnii interpretatione intelligitur.

729. Be.: Non ego dicebam serio ut illam illi dares, minime quidem probabiliter. illi etiam vulgatae.

732. v. sum. sequor vett. edd.

739. v. Dixi de argento, quod balbutire est. A scriptore fuit, ni fallor, Dixid argentum. vid. ad Eun. 1021.

744. v. Dicunt, Ius s. s. s. m., obscuratis gravissimis verbis.

746. v. Omnes te in lauta et bene acta parte putant, pravis numeris, nihili sententia. Be.: O. te in lauta esse et bene aucta re putant, bene quidem, quod, 2 scriptos secutus, aucta reposuit, ut iam pridem nonnulli, bene item, quod re pro parte, quorum verborum compendia facile inter se commutantur; sed minus recte, quod debiliora bene aucta re intulit post fortiora in lauta, nec melius, quod toti sententiae oblitus est opitulari: nam si tantum opinio illa est populi, potest sane aliter se res habere, potest inopia laborare senex argentumque reddere non tam nolle quam non posse. Rescribendum sine controversia:

Omnes inlautum id in bene aucta re putent.

760. v. H. mihi res. abest mihi nostris omnibus.

761. v. i-tu, laborante numero. tute, i. e. tu ipse, non ego, cui tam male imprecaris.

764. abegisti. cf. Ad. 375. v. abiisti, quod cum merito displiceret etiam Bentleio, is quidem reposuit: adisti mihi manum, ut est Plauti Cas. 5, 2, 45.

765. Post hunc versum haec leguntur in H: Credendum, te ex animo nihil irasci, quae leviter depravata et transposita credidimus potius quam profecta ab interpolatore, cui qui talia, quaeso, in mentem venissent, ad loci declarationem nihil conferentia, praecedentibusque pariter ac sequentibus dissimilia? Vide autem, quam lepide iam inferatur Clitiphonis dictum illud: Iam non sum iratus, postquam de argento dixit servus. Clitiphoni enim haec tribuenda, non Syro, ut v., siquidem non tanti est persona servi, ut cuius irarum ratio habeatur. Ceterum hi versus v. hoc ordine exhibentur: 763, 767, 768, 764, 765, 769, 770. cf. 685.

773. v. L. f. me. SY. I. re exp., prave acuto verbo ipsa, cum sequatur encliticum. vid. ad Andr. 667, Ad. 862.

775. v. Sed pater etc. minus apte.

784. v. iam decem h. a me f., eliso τῷ decem, quod plene exaudiendum est.

787. v. apposcunt. codd. fere apposcent, solus H adposcet, ut Be. reponi iussit. haec, Antiphila.

788. v. Q. m. iniusta ac prava f. m. verum servavit Eugraphius, nisi quod exhibet iusta iniusta. quem tamen ipsum exprimebant G. Fabricius et Be. Sententia haec est: quam multa, quae iniusta sunt, moribus vel usu recepta iusta videntur!

800. Post hunc versum haec v. circumferuntur; Erravi. res acta. quanta de spe decidi. quae a Bembino quidem plane absunt, in Vaticano autem codice praeter verbum Erravi item omittuntur omnia. Recte Be.: Versum eum esse subditicium, ex insequentibus patet, ubi Menedemus, tum denique errôrem suum agnoscens, in haec verba prorumpit: Id est etc. et interposito Chremetis assensu: ah, frustra etc. Ita liquido apparet, quicquid ante haec est, dissensionem esse senum, hoc contendente, Bacchidem amicam esse Cliniae, illo Clitiphonis. quid ergo opus fuit, Menedemum hic dicere Erravi et cetera quae sequuntur, paulo post eadem illa dicturum?

Sic ille. Et Erravi? quidem glossema existimo τῷ Quid narras? verba vero Sic res acta est (ita enim fere codd. et vett. edd.) istorum Ea res agitur; reliqua, monente Bentleio, ex 198 desumta sunt, vitii genere non infrequenti. cf. Ad. 108. Si quis tamen est, qui contra fidem optimorum librorum hoc quicquid est versiculi servare sibi cupiat, is s. emendabit:

Erravin'? CH. Sic res. M. Actum est? de spe decidi?

804. v. quae opus sunt, verbo opus in thesi prorsus occultato. quae non eliditur.

809. v. s. me sensisse, quod infantis. Codex C sciat pro sentiat, unde colligas, confusa inter se fuisse haec verba ita ut scriberent sciat sensisse pro sentiat scire vel rescisse.

811. perpetuom G. Fabricius, quod praestat vulgato perpetuo.

821. v. sane volo. sed si iam nunc Chremetem quid vult, cur id non statim dicit Menedemus? Futurum futuro respondeat necesse est.

823. v. astutum neque ita pers. esse, c. sc. sed id comparet in codd. nostris aliisque, et codex A: astutum atque perspicacem. Be. — esse, id scio.

826. plumbeus. Magis proprie plumbeos pedes dixit Plautus Epid. 5, 1, 21: nam ibi haud dubie legendum: otio isse admiror. pedibus plumbeis etc.

827. cod. A: nam exsuperat, et s. quoque vett. edd., minus fortiter. Astutia pro vulgato stultitia sumsi ex H et vett. edd. Similiter astutus valet Ad. 195.

829. v. illos, difficilioribus numeris.

842. v. Sp: vestem aurum atque ancillas. abest atque nostris et antiquioribus omnibus. C: vestes.

843. v. M. Non. CH. Quid non? M. Non, inquam, m. l., nisi τὸ ipse corripias, quod valde invenustum.

844. v. Magis unum. B: M. hoc unum. Vnum si dedisset scriptor, praecipuum id versus locum sibi posceret, quod fieri nequit.

846. Hic statuo clanculum egressum Menedemi domo Syrum audire senes inter se colloquentes, recitatoque versu 900 curriculo redire nunciatum id, quod comperit, Clitiphoni, apud Bacchidem adhuc remoranti. nam qui alias hic rem resciverit? et expectat quidem filii Syrique reditum Chremes; Clitiphonem autem minime festinare, consentaneum.

847. v. S. i. tuum quoque Syrus idem etc. sed A et B itidem, nostrique omnes et Calpurnius: tuus. Scilicet utrumque, tuus et tuum, esse genuinum, nomenque servi ex int. irrepsisse. Ironice Menedemus: ille tuus, quia Chremes dixerat Syrus meus.

Sic et Aristophanis Lys. 1282 sqq. duo carmina melica sunt obscurata, librariis in altero eorum adscribillantibus Βάκχειος, Δία, Κύπρις, in altero Ἀπόλλω, quorum vitiorum hoc postremum Brunckius quoque animadvertit, sed strophicum esse locum non magis quam ceteri editores videtur assecutus esse. Haec, nisi fallor, dedit Comicus:

ΧΟΡΟΣ ΑΘΗΝΑΙΩΝ.

στροφή. Πρὸς χορὸν ἔπαγε Χάριτας, ἐπὶ δ' Ἄρτεμιν, dochm.
Ἐπὶ δὲ δίδυμον ἀγέχορον Ἰήϊον, dochm.
Εὔφρόσυνον ἐπὶ δὲ Νύσιον, dactyl. trim.
Ὃς μετὰ Μαινάσιν ὄμμασι δαίεται, dochm.
Πυρί τε φλεγόμενον, dochmius, clausula.
ἀντιστρ. Ἐπί τε πότνιαν ἄλοχον ὀλβίαν,
Εἶτα δὲ δαίμονας, οἷς ἐπὶ μάρτυσι
Χρήσομεθ' οὐκ ἐπιλήσμοσιν

Ἡσυχίας πέρι τῆς μεγαλόφρονος,
Ἣν ἐποίησε θεά.

ἐπῳδός. Ἀλαλαὶ ἰὴ παιήων! αἴρεσθ' ἄνω, dochm.
Ἰαὶ, ὡς ἐπὶ νίκῃ! pherecrat.
Ἰαὶ, εὐοὶ, εὐοί! εὐαὶ, Λάκων, dochm.
Πρόφαινε δὴ σὺ μοῦσαν ἐπὶ νέᾳ νέαν! iamb. senar.

ΧΟΡΟΣ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ.

στροφή. Ταΰγετον αὖτ' ἐραννὸν anacreont.
Ἐκλιπῶα, Μῶα μόλε Λάκαινα, πρεπτὸν ἁ- troch. trim. hypercat.
μὶν κλέωα τὸν Ἀμύκλαις σιὸν, troch. dim. hypercat.
Καὶ χαλκίοικον Ἀσάναν, anacreont.
Τυνδαρίδας τ' ἀγασὼς, dactyl. penthemim.
Τοίγε παρ' Εὐρώταν ψιάδδοντι! dochm. catal.
Εἶα, μάλ' ἔμβη, ὢ ἶα πάλλων, dactyl. tetram.

ἀντιστρ. Ὡς Σπάρταν ὑμνιῶμες,
Τᾶ σιῶν χοροὶ μέλοντι καὶ ποδῶν κτύπος·
Ἆτε πῶλοι καὶ κόραι παρὰ
Εὐρώταν ἐγκονιῶσαι
Ἀμπάλλοντι ποδοῖν·
Ταὶ δὲ κόμαι σείονθ', ᾆπερ Βακχᾶν
Θυρσαδδωᾶν καὶ παιδδωᾶν.

ἐπῳδος. Ἁγῆται δ' ἁ Λατῶς παῖς dactyl. hephthem.
Ἁγνὰ, χοραγὸς εὐπρεπής. iamb. dim.
Ἀλλ' ἄγε κόμαν παραμπυκίδδε τε paeonic. logaoed.
Χειρὶ, ποδοῖν τε πάδη anacreont.
Ἆ. τις ἔλαφος· κρότον anacreont. catal.
Δ' ἅμα ποίη χορωφελίταν. κ. τ. λ.

848. C: paulum, quod versui convenit, cui suppetias laturus subolat Be. reponebat, inventum id in paucis ipsius et Faërni.

849. v. mitto. sed codex B omitto, recte, ut iambicus hic sit versus, qualis et sequens. congruunt sic affectuum metrorumque vicissitudines.

850. v. hic trochaïcus habetur, correpto priore est, icto posteriore, quod in repetitionibus caveri docuit acutissimus Be. cf. 926.

858. Familia h. l. pro re familiari ponitur. Vnde iudicium venit de lite familiae herciscundae, i. e. hereditatis. Cicero in lib. de Oratore 1, 56: Idem herciscundae familiae causam agere non possit. Calpurn.

859. v. Quid? istuc times quod etc. soloece.

866. v. Nisi, vel Nisi si, essem lapis. sed in ictu ponendum erat lapis. iam nisi usurpatum pro sed, sicut p.

872. Vid. ad Hec. 465. Menander:

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις ὐχ αὐτῷ σοφός.

874. v. prius ut omittitur, quod restituit ex veterrimo suo Be.

880. v. mihi illaec. Be.: mi illic vere, quoniam absolute dicatur res redit, ut Ph. 649. Recte; sed cur vere? Be.: Necessario, inquit, prae egestate, non, ut tibi, voluntario, prae animi aegritudine. Quid vero? Eiusne res ut confecta sit, qui, ipsa illa animi aegritudine commotus, omnia vendidit, talentaque ad quindecim coëgit? vide 93. Nimirum hic aurem Be. Calpurnio librariisque commodavit suis, qui unanime: vere, sicut et nostri, quibus tamen omnibus, et si qui his concinentes sexcenti alii reperiantur, potior est ipsa ratio, qua facile intelligitur, istud vere, quacunque tandem potestate acceptum, longe deterius esse vulgata lectione vero, quae irato convenit: vid. ad Andr. 599. illic. tunc.

882. v. D. o. te esse et ign. t. Post, et id ingratum. sed codd. nostri et Lindenbrogianus: et id erit ingratum. v. etiam ingratum in thesi latet, quod iam retrahit accentum. Te acutum non eliditur.

884. v. Quid hoc quod rogo, frustra exasperato versu. Bentleiani et nostri praeter Gu. 1: quod volo.

885. malis. s. iidem codd. omnes. v. mavis. mox mendose filio. cf. 891. vidit Be.

887. v. ita dico, ex int., quod ostendunt sequentia, ubi procul dubio ex C elegans si quid minus recipiendum est pro vulgato si minus. Idem liber: Nil vereare.

899. Quid eum? i. e. quid de illo dicendum habes? Similiter Phorm. 718: Quid illam?

902. v. viduae mulieri. Atqui vetula, vetus mulier, senex mulier Eun. 306, in convitiis sunt, vidua non est, nec causam, cur sit, invenias. Legitur quoque v., minus quidem eleganter: auderet facere haec viduae mulieri. Vni exstat in H.

903. Prima verba Menedemo, intus domum suam, quo iam abiit, manenti, inter exeundum dicit Clitipho.

906. Gu. 1: vulgo id faciunt, ut legit et Calpurnius.

907. v. id qui, i. e., inquit Be., cur, quamobrem, faciat, nescio. scilicet memorem esse Menedemum eius,

quod praeceperat Chremes 892. cod. C idque, recte, eadem quidem sententia. cf. 953.

909. eccum. Hoc v. Menedemo tribuunt; sed Syrus interrogatus fuit, neque adest ille.

916. v. erit praesidium, verbo praesidium pene occultato. versui consuluisse videntur magistri, sed anapaestus paribus trochaïcorum regionibus apud Afrum quidem raro, velut et Ad. 854, apud Aristophanem vero et Graecos, quorum ad exemplar hic properat, saepius usurpatur.

924. Servi ad aras deorum confugere solebant.

926. v. nec tibi nec tibi: nec etc. qua auctoritate, nescio cum Bentleio; sed displicet mutatus in repetitione accentus pronominis: vid. ad 850: quare in lectione codicum, qui quidem innotuere, persto.

927. v. Abiit. ah, vel: A. vah. sed exclamationem istam correctoribus deberi, de versu sollicitis, recte iudicavit Be., exulantem quippe a plerisque codd., etiam nostris A et C, dubiaeque h. l. potestatis. Porro in vulgatis sic: CL. Quid? SY. Vnde etc. laborante versu. Be.: Quid, Syre?

928. v. tibi, frigide. nempe adhaesit T ex antecedente verbo. Ibi esse ad vel apud sororem valet eam curare, de ea cogitare, animum illuc conferre. cf. 932, 420.

929. fame. i. e. famei vel fami, prisce. Be. a fame.

933. non aberit longius. intellige: id, quod quaero, consilium. servilis iocus.

938. vera. non supposititia, ut Clitipho.

941. v.: in paterna iniuria Solent esse, quod sententiae quidem causa ferri potest; sed quid faciemus τῷ esse sic collocato? nam Solent corripere posteriorem syllabam, cui placeat, et qui hoc probet Be.? accedit, quod in codd. B H legitur: et auxilio, sicut p. commutantur inter se coniunctio et compendium verbi esse. cf. Ad. 862. Coniunctio quidem versum iugulat. iam et arsi fruitur τὸ auxilio.

942. v. verum dicis. quid ergo nunc f. S.? minus quidem bene. Quia verbosius de illa suspicione dixit servus, verbo Dic ergo admonetur ab impatiente iuvene, ut tandem, quid faciendum sit, exponat.

946. Recte Syrus existimat, quo minus speret Clitipho, tanto magis misericordia commotum patrem in filii leges pacem confecturum. Nescio, quid hic trepident, quid turbent, editores, quorum commenta

referre piget. De transpositis verbis quam et tam vid. ad Eun. 346. ceterum cf. Ad. 475, 672.

948. v. Etiam haud scio, male audiente scriba, ut Etsi haud permutaret cum Etsiam (s. enim v. pronuntiatur Etiam) haud. Certe etsi loco congruit, non etiam. Gratulatur sibi de consilio isto honestus servulus, etsi ipse detrimentum inde sit capturus. cf. Ad. 121.

950. v.: Miror, continuo non iussisse abripi me: ad Menedemum hunc pergam. et s. fere Bemb. sed alii libri, in his A et Lindenbrogianus: M. non iuss. illico a. me. hinc nunc ad Men. p. Be.: M. n. iusse me abr. hinc: nunc ad Men. hunc p. sed Menedemum haud dubie glossema est. hic usurpatur in vicinis.

951. v. seni nostro, itidem ex int. s. p. Plautus et hic: cf. supra 654, Eun. 109, 624, Hec. 615.

953. v. quomodo tam ineptum quidquam etc., m. l.

958. v. In qua re, haud pro Nostri elegantia.

959. v. Immo scis potius, ex int., quod ostendit versus.

963. v. CH. Subditum? ain' tu? et versu sequente: Confitere, tuum non esse; quae dudum correxerat Faërnus.

967. Q. f. est inventa? Post haec cod. C: sed ideo leviter potest iste credi tuus; haud dubie ex interpretatione. Ceterum apte haec Sostrata, quasi ne filiam quidem veram arbitretur senex.

968. Post hunc versum v. talia leguntur: Convinces facile ex te natum: nam tui similis est probe, quae quis non videat ex antecedentibus esse interpolata? cod. A: Quod consimilis moribus tuis. cod. B: Id quod (et sic v.) est cons. est probe, nam illi nil vit. est r. q. id idem moribus convinces f. ex te natum, nam tui sim. sit tibi. tum pr. etc. vides migrare, ut solent, interpretumenta. cuius criminis tamen absolvo verba tui et probe, quae sane colorem Terentianum habent, propterea que a me genuino suo, ni fallor, loco sunt reposita. sic autem pro clausulis plenorum iambicorum p. usurpantur iambici senarii. cf. Hec. 674.

971. censeas, int. severum esse. iam autem mores dicit, antea vultum.

977. v. Alienum esse te. CL. Sum. S. M. me. hoccine quaesisti, obsecro? Sed Clitiphonem aliquid modo quaesisse, ex responsione Sostratae intelligitur, nec mirantis alicuius dicta est hoccine quaesisti? sed hoc-

cine quaeris? vel: hoccine quaesisse? atque hoc profecto verum est: cf. Andr. 217, Ad. 211.

980. v. in te esse, frustra onerato versu.

982. v. pro Cetera legitur Crede, et nostrum etc. satis inepte. cf. Ph. 132.

984. a Iove. s. codex C, quod elegantius vulgato ex Iove.

986. sedulo. subaudi prohibebo.

989. v. Non mihi, sententia laborante. B: num; recte: integrum esset: num puduit mihi p. f. add. scortum? Be.: Ten' mihi.

992. v. pr. inveniam, nescio qua fide. Bemb. incipiam, Vatican. et Basilicau. incapiam, Gu. 1 capiam, et s. legendum coniecerat Faērnus, quem sequor. Be.: incipiam, quanquam malit captem, sicut captare occasionem, tempus, similia, dicuntur.

994. v. Nimisque inhumane, correpta mis syllaba ante encliticum, quod durissimum.

998. exorem. s. plerique codd., nostri omnes, nec causam video, cur quicquam novemus. Be. tamen secundum Bemb. et duos alios libros: exorent, deleto gravissimo verbo Ego vel Egon', quae vulgata lectio est, asperior ea quidem. Similiter hic Ad. 910.

1005. Post haec H sic, procul dubio ex int.: Aut illam accipiat, aut me inimicum habebit, utrum volt.

1008. Haec Sostratae attribuunt, sed Chremeti codex A, recte.

1012. v. ducenda, vitiose.

1013. Nunc, significanter, qui adhuc semper vituperavit eum. cf. Ad. 971 ibique Donatus. V., tamen haec et sequens Perplacet itidem male Sostratae adscribuntur. Legitur quoque depravate Archonidi vel Archonidis vel denique, in Italis praesertim libris, Arconidis. nomen est Archonidas vel dorice Archondas, Ἀρχωνίδας, Ἀρχώνδας, quo plus semel impegerunt librarii. vid. Valkenar. ad schol. Eurip. Phoen. 1386.

ANNOTATIONES IN ADELPHOS.

Legendus de hac fabula Lessingius dramat. Hamburg. capp. 97 sqq. Eleganti paraphrasi germanica expressit eam Nobilis von Einsiedel.

Periochae Sulpitianae versu 5 v. famamque, satis frequenti errore. v. 6 se legitur in nostris. mox v. eri-

eripuit, duris numeris. v. 10 v. abest copula, sed A et H et iurgare, B ac i. dein quidam codd., in his nostri, s. fere: A se vitiatam virginem, civem Atticam, Vxorem pot. Ctes. cith., Suo exorato duro patre Demea. quae spuria esse vel inde arguuntur, quod nusquam in his periochis duodenarium migravit versuum numerum Sulpitius.

PROLOGVS.

Versu 2. v. Ab iniquis observari, quae grammatistae cuiusdam mihi videtur correctio, caventis, ne iniquos a scriptura observatos acciperent pueruli; quod cavere ineptum est. vid. ad Andr. 17. Iam una haec sententia, cum v. aliter dicatur, scripturam observari, aliter, adversarios eam rapere in peiorem partem; quod genus vitii inprimis fugiunt probi scriptores.

4. v. de se ipse erit, vos eritis iudices, ex int., obscuratis quidem verbis gravibus se ipse, numerisque pessimis. Observa paronomasiam in verbis indicio et iudices.

7. Commorientes. Negat Varro apud Gellium N. A. 3, 3, hanc fabulam Plautinam esse. Iudicarit eam rem, pro more suo, magnus literator ex moribus ingenii atque linguae, ut cum Gellio loquar, in ista comoedia expressis, qui quidem ipsi vel insolentiores visi fuerint vel neglectiores. sed speciosius id argumentum quam verius, siquidem et nemo omnibus horis sapit, senesque alia cogitamus, appetimus, agimus, scribimus denique atque adolescentes iuvenesque. quare equidem hac in parte plus tribuo Terentio.

9. prima fabula. hoc est in prima parte: ut dicimus in primis digitis. Donat. cf., Eugraphio monente, Virgil. Aen. 9, 244.

14. Reprehensum. retentum, resumtum. Donat.

21. sine superbia. sine aliqua eorum superbia. Eugraph. Mox v. partem — partem. correxit Be., conferens Hec. prol. alterius 7.

25. v. P. ad scrib. augeat industriam, m. l. Totum versum excidisse putabat B. s. fere conceptum: Bonitasque vestra adiutrix nostrae industriae Poetae etc. quae consuta ex Hecyrae et Phormionis prologis, cum praesertim minime necessaria esse videantur haud

scio an paucorum latura sint suffragia. Omissum ad in adaugeat propter sequentia ad scribendum. Adaugere etiam alibi Noster Heaut. 383.

FABVLAE versu 1 qui nominatur Storax, unus est ex servulis, qui praestolatum missi erant Aeschino coenanti, ut ex sequentibus intelligitur. Omnes appellasse Micio cogitandus est, ultimoque loco hunc Storacem; sed mutarum nomina personarum poëta nos condonavit. S. et in prima Andria solus nominatur Sosia.

4. evenire ea sat. est, ex int. metroque laborante.

11. v. ne aut ille alserit. Donati simia: „Nimium tenere amat, qui haec in iuvene pertimescit, quae circa infantulos cavere solent." Scilicet nemo algoris causa in tali regione domum non redierit. Eugraphius: „Alserit, i. e. mortuus sit, quia morientes frigent." At vero magis friget, o bone, tua explicatio. Legendum, nisi omnia me fallant, illiserit, intellecto se, graece: vid. Vechner. scriptum antiquo more verbum ILLAESERIT cito depravatum est. Diversa autem esse illidi, cadere, denique aliquid praefrangere, opus non est expositu, et quod vicina haec sunt, eo quidem nomine culpandus non est poëta, sed laudandus multo magis, cum patruum depingit singula quaeque, etiam simillima, quae nepoti accidere possint, plane paterno animo reputantem.

Ceterum v.: Quibus nunc sollicitor rebus, male correpta voce quibus, i. e. quot et quantis, quam gravibus! vid. ad sequ. versum.

12. v. Aut uspiam ceciderit, non recte acuto verbo ceciderit, siquidem vera sunt, quae monuimus ad Eun. 940. quare non dubito, quin ex hoc versu in antecedentem τὸ nunc migraverit eoque ponendum sit loco, quo positum iam vides, ut ad tria ista perfecta illiserit ceciderit praefregerit aeque pertineat potius quam ad unum sollicitor: quoniam ibi quidem tempus indicatum satis est verbis: quia non rediit filius. Sed de metro forsan metueris, dactylo iam excipiente anapaestum. Atqui similes versus etiam alibi, quanquam raro, inveniuntur, velut infra 362, 897, Ph. 648.

14. Coniunctionem addidi huic versui, sequentis ut expedirentur facilius numeri. Ceterum v. ipse est sibi, eliso ipse.

13. v. Atqui ex me hic non natus est, sed ex fratre. is adeo — prorsus inconcinne. B.: Atque ex me h. natus non est (et s. quidem plerique omnes codd.), sed ex fratre. is adeo — sed haud ferendum, gravissimorum verborum me et fratre illud liquescere, hoc in thesi latitare, pedemque medio in versu haberi talem: est set ex, ne de exitu versiculi dicam, incisa praesertim oratione, plane intolerabili: fratre, is adeo.

16. Dissimilis etiam A. V. quoque: iam inde, solito errore.

18. isti, i. e. qui similes sunt Demeae, itaque a me dissentiunt, ut recte Don.

Versum Menandreum, grammatico laudatum, sed corrupte, sic restituebat Be. emendatt. in Menandrum et Philemonem 3:

Ὦ μακάριόν μ', ὅτιὴ γυναῖκ' ȣ̓ λαμβάνω.

addito de suo τῷ ὅτιὴ, quod parum placet: siquidem qui istud verbi perire potuerit, difficile est dictu. Etiam leni Micionis ingenio magis haec, ni fallor, convenirent:

Οὐ μακάριον μέν ἐςι γυναῖχ' ὁ λαμβάνων.

Compendium τȣ̃ ἐςὶ facile periit.

19. Contra haec omnia. vid. Ph. 483. Be.

20. Piget, reverentia codicum me deterritum haud reposuisse: Ruri vitam agere, ut plene exaudiretur τὸ ruri, verbum gravissimum, quod invenuste nunc deproperatur.

30. v. insuerit vel insueverit; sed Martianus Capella p. 160. instituerit. Be. tamen: ita ut fit, deleto aut.

31. v. Aut audebit, tanto, m. l. Correctoris hoc puto, quem male haberet infinitivus duplex. at cf. 52.

32. Menander, si recte coniecturam facimus:

Λυπȣ̃ντα δ' ὀρθȣ̃ν ȣ̓χὶ δεῖ, πειθȣ̃ντα δὲ,
Τὸ παιδάριον.

Legitur autem vulgo: Οὐ δεῖ λειπόντα τὸ παιδάριον ὀρθοῦν, ἀλλὰ πειθοῦντά τι.

38. v. nimio, ambigue. Liber B. nimis. vestitu pro vestitui, prisce. vid. Gell. 4, 16.

40. C: Et errat multum.

47. v. Ille quem, duriore numero, id vero omittunt, quod requirere mihi orationis videtur perspicuitas.

48. v. Studet par referre, et Gu. 1 St. par pari ref., utrumque ex int., siquidem elegantius est, beneficium intelligi ex antecedentibus. s. numeri quoque

suaviores fiunt, et studet plene exauditur. v. etiam absensque; sed omittit coniunctionem codex C. Menander:

Υἱῷ προθύμως τἀξιούμενον ποιῶν,
Κηδεμόν' ἀληθῶς, οὐκ ἔφεδρον ἕξεις βίου.

59. Itidem Menander:

Ὃς οὐκ ἐρυθριᾷν οἶδεν οὔτε δεδιέναι,
Τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχων.

70. v. ruri esse parcum, frustra, vixque audito verbo rei.

77. v. haec continue: potare: non est: neque etc. vehementius quidem quam pro Micionis ingenio, nec recte obticente tam diu Demea irato multumque sibi tribuente, more imperitorum. nam quod mox patientem aurem fratri commodat, gravissimo id exordio effectum: At ausculta, ne me obtundas de hac re saepius. Interpellat igitur h. l. commotus Demea, idemque verbum mox, 87, repetit, ut solent irati.

S. p., turpiusque etiam, peccare solent veterum scriptorum editores, velut Aristophaneae Pacis 774 prave distinguendo post ποιητῶν, quod quidem cum antecessoribus suis facit, ineptam hanc sententiam efficit Brunckius: et ne detrahe quicquam praestantissimo poëtarum, viro qui frontem habet. Frontemne habuerit nec ne Aristophanes, disceptandum aliis relinquimus; at vero si illi soli honor sit habendus in conviviis, quid hoc ad ceteros calvos? non ita proximi studiosam novi plebeculam. Imo dicit Comicus, ob calvitiem suam omnibus calvis bene in posterum fore, si vicerit, ut quisque dicat in epulis: da calvo, praebe calvo isti, nec detrahe viro nobilissimi poëtae frontem gerenti. Similiter ibidem 850 continue scribendum: Λείχειν ἄρ' αὐτῇ κἀνθάδε σκευαστέον, sensu nequiore: Quodque magis etiam huc pertinet, eius comoediae 1051 rectius sic distingues:

Ὄπτα σὺ σιγῇ κ... — Ἄπαγ' ἀπὸ τῆς ὀσφύος,

ut posterioribus verbis, interrupta oratione instituta, sacerdos increpetur.

87. v. Ah pro At, lapsu frequentissimo. Ah iratiori convenit 102.

93. v. dabitur a me argentum, ex int., pessime autem correpto verbo amat.

100. Ovidius Met. 9, 24, monente Bentleio:

Iupiter aut falsus pater est aut crimine verus.

108. Hunc versum v. ponunt post 111, verbumque Irascere Micioni tribuunt, scribentes quoque credis.

Factum hoc ob non intellectam ἀποσιώπησιν, quae inest verbis: Rursus, Demea? Donatus: Rûrsum. Quasi curans irasceris? Viden', hunc τὸ irascere quo loco v. legitur haud invenisse in suis libris? Sed porro considera, quaeso, quam obscure v. ista dicantur: ah, Micio? ad quae cur alter respondeat: Mihi sic videtur, neque ego intelligo, neque quisquam interpretum declaravit. Et quid frigidius istis: an non credis? quasi non castigans, sed dubitans scilicet, quaesisset Micio: Rursum, Demea, irascere? Tantas turbas dedit una vox Irascere perperam adscripta explicationis gratia τοῖς Rursus, Demea? quo facto initio interpolandi, cito librarius nescio quis quae supra post Irascere legerat, et hic inculcavit, more istius nationis: cf. Heaut. 800: cumque ita bis eadem legerentur, ineptus corrector sana praecidit, ulcus non attigit.

115. Donatus: Hic sensus est; Nec contemnenda sunt quae dicit, neque omnia dicit tamen. h. e. non sola sunt, quae dicit. et ordo est: Neque tamen haec, quae dicit, sunt omnia.

118. v. Cum placo, advorsor etc. sed cum dixerit Micio: ita est homo, Demea, iam oportet pergere illum narrare aliquid de eodem Demea, non de se ipso, quod facit, si vulgata lectio retineatur. Plane sedulo, ut alibi plane belle, plane bene, plane moleste.

119. augeam. laudem.

127. Nisi. sed, ut p. vid. ad Hec. 224.

132. Ego i. i. o. Deest abducam. Donat. V. autem istam, duriore numero.

133. v. hodie unquam, it. ut vap., frustra onerato versu. glossatoris est τὸ unquam.

137. huius non faciam. i. e. ne titivilitii quidem. cum gestu hoc pronuntiat.

140. v. Indignum iniuria hac; ind. c. e. s. a. m. Verba iniuria hac pro glossemate habenda sunt verbi indignis, cuius omittendi cum ansam praebuisset similis, quae sequitur, vox, nescio quis ista addidit ad sententiam versumque adeo utcunque sustentandum. Fideiussorem huius emendationis habeo Donatum, cuius inter animadversiones ad hunc locum haec leguntur leviter corrupta: Indignum iniuria hac. Comice Indignum et Indignis. Tu scribes: „Indignum indignis. Comice." Facetum videbatur grammatico, eodem orationis membro eodemque loco alia potestate usur-

pari indignum, alia indignis; ut v. iocari solent: nam proximo membro id verbum repeti, Comici salis nihil habet. Be. vulgata sic digerebat:

— — esse in-
dignum iniuria etc.

De falsa inscriptione apud Donatum vid. ad Eun. 163. Indignum vocali litera sequente accentum retrahit: índignum indignis.

142. I coalescit cum seqûente vocali. vid. Andr. 373.

146. Verba Omitte mulierem in vulgatis Parmenoni tribuuntur, sed in Gu. 1 Aeschino, recte quidem: servi munus verberare est, non loqui.

147. v.: O fac. indignum. AE. Gem. n. c. S. Hei miseriam. Sed Faërnus: hei misero mihi, nostrique omnes, ut et plerique Bentleiani: O miserum facinus. Illud indignum a correctore, nisi fallor, est, quem male haberet repetita vox miser, quae tamen vel ad denotandam indoctam lenonis infantiam est retinenda. Ceterum v. ex int. impeditoque trochaïco: partem potius p. t.

156. opperiere loris. servorum haec poena: nam liberos caedere, nefas habebatur.

157. impurum. Veteres Impurum generaliter pro improbo ponebant. Donat. cf. Heaut. 577.

162. v. L. s. f. pernicies communis ad., acuto in prima syllaba τῷ pernicies, quomodo apud Nostrum quidem huiusmodi verba nunquam: nam si quando alibi quam legitimo loco accentum illa habent metricum, in extrema syllaba habent, non in prima, idque in ultima versiculorum arsi. Apte quoque in verbis ponderosis mutatur metrum, ut saepissime in hac scena similibusque παθητικαῖς.

172. v. Homini misero plus etc. sed 3 Berol. libri: O homini. Legendum: O hominem miserum, i. e. pessimum. vid. ad Andr. 855. V. quoque hic versus post 174 inculcatur, merito quidem improbante Bentleio, qui tamen hunc illi praeponere satis habuit. Ceterum non inepte hic mutatur metrum: nam quod placet Anglo, domo posteriorem syllabam corripere, duriusculum mihi videtur.

184. v. quid istuc, Sannio est, ex int., m. autem l.

186. v. quam quae h. int. nos, contra usum Nostri in hoc genere. vid. ad Andr. 667.

190. hui. hoc v. servo tribuunt; male: nam sic vel concedentes, ut infra 385, vel cum irrisione inter-

pellantes, ut Eun. 749, cum significatio verbi in contrariam mutatur εἰρωνικῶς. sequor igitur vett. edd.

193. Spem non eliditur, ut p. acuta monosyllaba. quod nescientes v. edunt Ego spem, prorsus occultato verbo spem.

197. Editur mendose usquam. Nusquam sint, i. e. perditae sint, nullae sint, μηδὲν εἰσι. Noster Eun. 243:

Neque virgo est usquam, neque ego, qui illam e conspectu amisi meo.

Horatius serm. 2, 5, 110: Ergo nunc Dama sodalis Nusquam est? cf. inttpp. ad Plaut. Merc. 3, 4, 21.

199. Hoc pro huc, vetuste.

200. v. red. tamen, frequenti permutatione.

212. v. per oppressionem, frustra exasperato versu.

215. div. face. divide. Donat.

232. alias. s. Be., conferens Andr. 31, 94. v. alios, ταυτολογικῶς.

234. v. O Syre, minus apte.

235. v. SY. Quid est? CT. Quid sit? illius etc. aliter collocato priore quid, aliter posteriore, numeris autem impeditioribus. Recte absque istis oratio procedit, a servo interpellata: Hem, illius opera nunc vivo! cf. Hec. 290.

237. v.: famam, meum amorem; vitiose: amorem Ctesiphonis in se transferre Aeschinus nec voluit nec potuit, famam amorum eius potuit, idque revera fecit. maledicta. lenonis, ut recte Donatus.

238. v. mane, mane, m. l.

240. Gu. 1 quaerito, quod non deterius.

243. v. ah, vereor. Ecce iterum Crispinus. Exclamationi nihil hic negotii; at requiritur.

245. v. quasi nunc non. Quid? nuncne demum? Nempe compendio deceptus cum nescio quis librarius scripsisset, ut p. factum, nunc pro non, mox utrumque positum est. V. etiam norimus, invitis vett. edd. et versu.

246. rem etiam nostri B C.

248. v. tam ob parvolam Rem pene ex patria: turpe. quae ubi admittes, invenuste encliticum rem separabitur a parvolam, itemque invenuste vox patria (at quam ponderosa!) in thesi occultabitur. Hoc parvolum etiam Cicero aliique.

252. Eamus. hoc v. Syro adscribunt, quasi servi sit abitum domino imperare. Similiter peccatum Eun. 408.

Ne tam quidem. hoc est ne transversum quidem unguem. Cum gestu hoc pronuntiandum. cf. 201.

253. quamvis pro in quantum vis. Donat. Etiam. porro.

264. v. Iam times, vi nulla. Iam, nam, tam, saepissime confusa a librariis.

266. v. Nec quem ad obstetricem mittam. sed iambicus hic versus esse debet, ut recte monet Be. Et is quidem: Nec est quem, vi parentheseos non observata. H nunc praebet pro nec; sed utrumque verum puto. Similis parenthesis est Heaut. 553.

269. natae etiam nostri codd. H Frenate.

273. v. quod si omnia. cf. Eun. 500. Plaut. Capt. 3, 3, 1:

> Nunc illud est, quom me fuisse quam esse nimio mavelim.

280. v. illum legitur pro ulla, Mureti lectione, quam exhibet H.

282. v. indigne per vim, praepositione acuta, nomine gravissimo elevato tanquam enclitico. sic duriter et similia leguntur, atque hoc ipsum in vetere inscriptione.

283. v. loquatur, minus bene, quia corripiendum tunc est satis. Loquitur exstat in H.

285. v. dari mihi obviam. sed corripi non debet posterior syllaba τοῦ dari.

287. Abest v. meo, tractum id a simili, quae sequitur, voce, sententiaeque necessarium. Satis se supplicii sumsurum dicit Geta, si illos ulcisci suo modo liceat. cf. Eun. 864.

S. saepius erratur, velut et Aristophanis Lys. 1112, ubi v. legitur versu manco, Δεινὴν, ἀγαθὴν, φαύλην, σεμνὴν, ἀγανὴν, πολύπειρον, quid verbi arcessendum sit ad integritatem tum sententiae tum metri, ipsa adiectivorum istorum docet oppositio. rescribe certa emendatione:

> Δεινὴν, δειλὴν, ἀγαθὴν, φαύλην, σεμνὴν, ἀγανὴν, πολύπειρον.

Vicinitas vocum δεινὴν et δειλὴν alteri offecit.

291. Sic temporum poscit consecutio. v.: ut cerebro dispergat viam.

297. quid festinas? hoc est: quid properas dicere?

299. v. obsecro te, m. l.

305. v. Nostram vitam omnium (Be. omn. vit.), in quo nostrae spes opesque omnes sitae Erant? (Be. omisit Erant) verbo vita in thesi occultato. Et cur Ae-

schinus dicatur ipsarum vita? quod amantium est blandimentum. Spes vitae p., velut Heaut. 584.

307. v. Qui se in sui gremio etc. Senis habet H.

312. v. Iam, frequentissimo errore.

316. v. quoquo pacto tacito. vid. ad Eun. 447.

324. v. potes, contra usum Nostri. cf. Ph. 858.

325. v. abi atque H. c. h. rem omnem, ex int., m. quidem l.

326. summus. intell. amicus. cf. Eun. 221.

332. v. rei, quod interpretamentum antiquae formae. Legitur quoque: etiam eum, frigente pronomine, quia praecessit illum. Illum meum significanter Demea. cf. 369, 773, 776. Similem maculam eluimus 715, similique itidem liberabimus Aristophanem Pac. 601. ibi enim cum v. legeretur προςγελάσεταί σε λαβόντ' ἄσμενα, male iteratum σὲ non culpavit Brunckius, sed ex uno codice invexit lectionem προςγελάσονται, quae versum iugulat, paeonicum eum trimetrum, qualis pro clausula eiusmodi metri adhiberi solet. cf. ib. 361 eiusque strophicum 401, ubi itidem impegit Gallus, τῷ ἡμεῖς dicam scribens, quo destitutus versus corruit. Legendum igitur isto loco:

προςγελάσεται λαβόντ' ἀσμέναν:

ἀσμέναν pro ἄσμενα maxime, quia ancipites non sunt horum versuum, ut aliorum quidem, syllabae postremae.

336. v. Atque. C at.

339. vulgatum se post pacto abest libris Berol.

342. v. consilium, minus eleganter.

353. h. flag. intellige fieri vel quiddam simile. interpellat iocabundus Syrus. cf. 364 382.

356. v. Vtrum studione id sibi etc. sed Donatus legisse videtur verum. unice convenit vero, quod reposui.

358. v. hinc, sed significatum oportuit, quis abiturus esset; illud sponte intelligitur.

363. v. eho, an domi est habit. plene exaudiendum est domi, nec de caesura est quod metuas: nam tales versus graviter interdum inferuntur, ut hoc ipso neglectu, tanquam condimento, irritentur magisque ad verba poëtae, insolenter posita, spectatorum animi attendantur.

365. v. Patris et facilitas prava, correpto verbo patris, praveque acuto τῷ facilitas: vid. ad Eun. 940. facultas. Aeschini ad male faciendum.

367. quod. ita Gu. 1. v.: quia ades, ingrata elisione.

569. v. tu, minus recte.

371. coeperet. s. fere codd., item Priscianus 10, Nonius in Coepere. v. coeperit, soloece.

374. Quid eum? initium interrogationis de persona alicuius. sic in Heaut. 899: Sed Syrum.... Quid eum? Donat.

375. Ab. h. r. Haec v. Syro tribuunt. refragantur insequentia.

378. v. apud forum, impedito versu.

384. v. Non tu hoc argentum perdis; quod falsum: nam argentum id revera iuvenis perdiderat. Hic. i. e. in hoc negotio. Sedatior quam hic fingitur Ctesipho dixisset: non solum hic argentum perdis; iratus παθητικῶς argenti adeoque eius iacturae nullam rationem habet, vitamque i. e. salutem fratris solam respicit.

386. v. Phy, φῦ, cuius potestas nihil ad hunc locum. Φεῦ mirantis est, idque expressisse Nostrum puto. Confusa haec etiam Aeschyli Agam. 1248.

422. v. Quid narras? quasi dicente Hegione. sed nimis haec frigent post antecedentia Pro di immortales, facinus indignum! quare ex H. libro quod recepimus.

426. v. alieno: pater is nihili p.; mendosissime: patruus Aeschini Micio, non pater. Ex Hegionis persona haec Demea.

427. v. hic prope adesset alicubi, ex int.

437. v.:

Quem fratri adóptandúm dedisti, neque boni —

Quis talem versum Terentio imputet? Abdidisti, i. e. ab oculis removisti, tanquam neglectum; et est levis Demeae reprehensio. Hecyrae 117 habes: nam senex Rus abdidit se, ubi Donatus: Verbum reprehendentis senem. Reprehendentis autem, quod absit inde Laches, ubi esse eum oporteat. vid. ibi Donatus ad v. Commeat.

445. v. ubi scit factum. Mirum vero, ni ipse sciverit. Infra 662 in eadem re: postquam id evenit.

450. v. ille bonus, ex int., metro autem impedito.

455. v. Neque iners, alit illas. sed nihil hoc differret a sustentando omnem familiam. ad. erga, sicut p. Etiam qui, quod v. abest, sententiae puto necessarium.

464. v. vis, invito sensu refragantibusque vett. edd. vis 467 demum memoratur.

473. Inter hunc et sequentem versum v. Phormionis 424 inculcatur, tanquam a Demea pronuntiatus,

cuius personae male convenit, siquidem nec vere sic sentientis, quod vel ex proxime sequentibus intelligitur, nec, cur dissimulet, ullam habentis causam. In Bembino versus margini tantum adscriptus est, ibique exaratum ut et in H., exequar.

477. noscere pro exercere dixit, Graecorum more, qui s. p. εἰδέναι. cf. Virgil. Aen. 1, 630, Musgrav. ad Sophoclis Antig. 299.

479. Redito. prosequebatur eum Hegio, ut recte Donatus.

481. indicente, i. e. non dicente, tacente, ut recte glossator Bembinus. vid. Gronov. ad Liv. 22, 39. sic Phorm. 913: Quod dictum, indictum est.

488. v. sit, m. l. sequor Muretum.

497. 8, Haec v. s. digeruntur et scribuntur:

Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope est.
Quodsi abesset longius,
Prius nox etc.

Primo horum versuum, sive iambicum eum sive trochaïcum habeas, vix et ne vix quidem sui numeri constabunt. Vide, levicula menda quas turbas dederit. quippe cum exaratum esset, proclivi quidem lapsu, causa tam male pro causa ita male, statim ratio metri obscurata fuit. Bacchei congruunt affectui. elisiones frequentes, ut et homoeoteleuta, rem ingratam pingunt. Sed retinendum mihi aliquis clamet vulgatum tam pro ita, verbaque Et illud — odi coniungenda in iambicum trimetrum hypercatalectum, sequentia vero usque ad verbum longius, non praeponendum id quidem τῷ abesset, in iambicum senarium. Cui respondeo, debiliores mihi istos numeros videri in tanta perturbatione. locus similis est Eun. 255, 6.

501. v. ego hodie toto, ex int., impedito quidem versu. Me et quem non liquescunt.

508. v. quam ovem. Et sane hoc quoque proverbium in utraque lingua usitatum est. sed recte Be.: Ovis non redditur placida, ex fera cicuratur, mansuefit; sed natura et indole est placida. Corrigit ille igitur: quam ovis est, nimis quidem aberrans a codicum scriptura. vicina oleum et ouem, nihilque vulgatius locutione: oleo tranquillior. Plautus Poenulo: hunc canem faciam oleo Tranquilliorem.

518. v. satis, difficiliore numero.

526. v.: Nam me iam in cellam aliquam cum illa concludam. Tot homoeoteleuta ut Afer admise-

rit, arte clarus? — Andr. 358. habes: ut huc concludar; Eun. 613: illum aliquo conclusissem. cf. 760. Ita et h. l. reponendum. Iam legitur in codice B, quo verbo deleto Be. dedit cellulam, ut est Eun. 259.

531. v.: Quid, malum, bone vir mihi narras? prorsum exstincto Comici lepore. De bonis rebus plane audire se nolle fingit tam male acceptus servulus. cf. Andr. 310, Phorm. 73.

544. v. sit, m. l.: nam hic quoque iambicus esse debet, ut gravius novo metro inferantur minae senis.

554. v. S. h. m. p. ibis, et minor est err., levicula voce et acuta, verboque minor prorsus occultato. Ibi postquam depravatum esset, cito quoque, ut fit, transpositum est.

560. Vbi p. v. Haec Demeae tribuuntur in Bemb. et Victor. Iam Donati tempore in persona litigatum h. l. Equidem ista referam ad verba in sole, audacius quidem illa transposita, sed eo, ni fallor, fine, ut perturbatio servi exprimeretur, ad inopinatum Quid ibi facit? respondere statim coacti. vid. etiam ad Eun. 346. Be. lectulos in sole iunctim accipiebat ut lectorum speciem tum notam et sic appellatam. Dele autem virgulam extremo versu.

Bene sane. Hic εἰρωνεία est, non approbatio. Donat. vid. ad Eun. 229.

565. v. C. et cyathos sorb. p. hunc prod. d., numeris invenustis, depressoque in thesi verbo cyathos.

576. relevaris, ut versu sequ. fueris functus, non fungeris. Praepositio Re in compositione fere duplicat consonantes apud vetustos. Be. Confirmat emendationem Gu. 1.

578. v. dixti, m. l.

579. v. quibus, minus concinne.

581. v. se semper credunt negligi. Bemb. claudier, quomodo et Donatus legerit, varias nunc commemorans lectiones claudere et claudicare. Be.: ludier, quod et ipsum friget illato fortiore contumeliam. Cicero: interclusi captique sumus. Intercludier. a potentioribus. Non semel erratum in hoc verbo apud Nostrum, librariis item Andr. 543 pro eo scribentibus in me claudier, et Eun. 119 in te claudier, utroque illorum locorum animadvertente vitium Bentleio. Hoc quidem loco Inter — cum forte periisset, ad versum sustentandum τὸ semper inculcatum est; nisi natum potius id dicas ex pronomine antecedente.

583. recte ad verba retulit, verum ad rem atque sententiam. Donatus. cf. tamen 927.

584. Hanc clausulam esse, Varro prodidit de lingua Latina 7, teste Rufino Putsch. p. 2707.

586. v. quid me faciam, nec quid etc. Be., codd. nonnullos secutus, quibuscum faciunt et nostri, C et H, trochaïcumque hunc redditurus, legi iussit quid de me f. sed frustra talis versus obturbaret creticos. fac. glossema est. cf. index v. ellipses. durior versus rei congruit.

587, 8. v.

Membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit:
Pectore consistere nihil consilii quit.

Be., hos choriambicos existimans, metri id genus adolescentis affectui parum aptum, utpote exultans et magni spiritus, ita edidit:

Mémbra metu débilia súnt: animus práe timore
'Obstipuit: péctore consístere nil cónsili 'quit,

de metro quidem is satis bene, nisi quod postrema syllaba verbi debilia vix recte producatur. Sed cuinam, quaeso, placeant membra metu debilia? Et fac, ineptius quidem sic locutum esse Nostrum, alias minime ineptum, num etiam tam infans repente factus est, ut, cum corpus metu quassari dixit, timore animum faciat obstupescere? an vero metu tantum vel timore perturbabatur nunc Aeschinus? nonne etiam iracundia, misericordia, amore denique affectus erat? Quid multa? utrumque, et metu et timore, pro glossemate habendum est, quo deleto iam horum priore versu praeclare aliud apparet metrum, claudum id quidem et quasi singultiens, Creticum dico, posteriore, verborum transpositione levique corruptione obscuratum, facile idem restituitur. Quorum versuum priori cum extrema syllaba deficiat, si retineatur obstipuit, vel obstupuit, ut est in nostris omnibus, scripsi obstupidus est, rariorem vocem, quanquam Nostro etiam alibi usitatam, offensioni fuisse grammaticis arbitratus.

590. v. neque ea, sicut mox nam et eam vidi, m. l.

595. v. Satis diu, ex int. Iam gravissima vox Satis plene ad aures accidit.

598. v. ac fieret palam, haud pro facundia Terentiana.

600. ac mitto, ut Phorm. 198. ac mitto imperium. Faërn.

606. v. primum est, m. l.

613. Tacet. cur non ludo, ex int., male autem deproperato verbo Tacet. cf. supra 183, 254, Eun. 425. Melius est. bene est. cf. Andr. 398, Heaut. 591, Ph. 389.

617. Menander:

'Ερυθριῶν πᾶς χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ.

622. Verba Vt opinor v. feruntur Micionis, parum quidem apte; unde Be. reponebat Opiner. vid. ad Eun. 229.

623. v. commigrarunt, m. l.

626. Huic leges cogunt nubere hanc. Ex lege Attica, qua virgines orbas pauperesque, θῆττας, proximi cognati vel ducere, vel dotem iis dare, cogebantur. cf. Phorm. 91 et inprimis 372 sqq., unde, dotem θηττῶν etiam Apollodori tempore quinque minis constitisse, ita ut Solon instituit, intelligitur, quae postea fuit duplicata. Vid. G. G. S. Köpkii, viri doctissimi, praefatio Phormionis ab ipso germanice conversae pag. 12, eiusdemque perutilis libellus, modo editus, Über Gesetzgebung und Gerichtsverfassung der Griechen p. 498.

628. v. Nam hab. Mil. AE. Hem, virginem ut secum avehat, insuaviter minusque παθητικῶς repetito verbo avehat, obscurato vero τῷ Mileti, in quo quidem h. l. totius vis sententiae sita est.

630. v. quid aiunt? ut saepe lapsi sunt librarii, versu quidem vacillante: nam ipsae priorem corripere, haud ferendum.

632. v. neque eum nominat, quasi hoc obiter tantum monente Micione, cum tamen inde sit, quod nescire se fingit bonus senex, quis sit ille alius. Simillima enim eum.

634. v.: videntur postea, trepidantibus grammaticis. Sane τῷ postea non est locus, est verbo poscere vel postulare. Noster Ph. 374: num iniquum postulo? etc. Vna autem, mater, poposcit, non plures: scribendum igitur videtur.

636. Quidni illam abducat? sic H et vett. edd. V. Quid illam ni abducat, dure quidem atque insolenter.

639. v. rogas me? ex int.: nam omitti solet pronomen in hac formula; impeditiore quoque versu.

640. codd. cum illa consuevit, iisdem nominibus culpando versu. Be.: cum ea, pronomine prorsus occultato.

641. Et v. abest, quod sententia requirit. et nunc. etiam nunc.

646. v. Cur duxit alienam? Quis, obsecro, quam?

In condixit virgo intelligenda, in alieno Aeschinus, admodum apte ad sequentia totamque orationem.

651. id. v. ista, numeris durioribus, quales in versibus mediis extremisque vitari solent.

654. v. Et scio: nam etc. putide. Similiter 100 ante Bentleium legebatur sciunt pro sient. V. quoque h. l. magis; sed offendunt homoeoteleuta magis, agis.

658. v. Lib. sed vereor, ne indil. n. s. numero duriore, minusque ἐμφατικῶς.

661. Desideratur v. est, quod praebuit codex B, necessarium id quidem versui, vox humanum ut recte accentum retrahat, sequente vocali litera. Verbum boni extrema sede positum, quae arseos similem vim habet. cf. Eun. prol. 42.

662. v.: — tamen: Fecere alii saepe, item boni. prorsus occultata voce boni.

666. v. P. et te et illam. sed tam correpta et obscurata verba et te, cum praesertim parum recte dicantur (nam qui se ipse prodidit adolescens?) abesse praestat. Rhetorice amplificare nescio quis voluit sententiam.

668. tuum. v. domum, quasi ipsa domi suae cubiculum virgo non habuisset.

670. v. — inquam. AE. Pater, obsecro, etc. impedito versu: nam hanc, magni momenti verbum, deleri, quae Bentleii ratio est, cuinam placeat? Rei conversioni gravissimae metrum gravissimum convenit.

672. Codd. fere Nisi quia tam misere, mendose quidem, quod vel metrum indicat. Vulgatae: Quia tam m., difficili τοῦ eo relatione. Be. denique haud melius: Nisi tam misere. Quam — Eo, sicut alibi Quam — Tanto. Pertinet autem magis ad utrumque membrum, haec ut sit integra oratio: quam magis misere hoc cupio verum esse, eo magis vereor. vid. ad Heaut. 946.

690. v. illic ulla, m. l., Be. illi ulla, codex B ibi ulla. vides iam, adverbium esse ab interprete.

697. iam. intelligendum omitte vel desine.

713. Alexis apud Stobaeum:

Τοιοῦτο τὸ ζῆν ἐστὶν ὥσπερ οἱ κύβοι·
Οὐ ταύτ' ἀεὶ πίπτουσιν, οὐδὲ τῷ βίῳ
Ταυτὸν διαμένει σχῆμα, μεταβολὰς δ' ἔχει.

715. v. id arte, sed pronomina cumulata nemo patienter ferat. cf. 332. Ad artem corrigere, quomodo ad frugem corrigere Plautus dixit.

718. abicienda. s. H, prisco more. v. abiicienda.

720. v. abest ea. sed memoratam fuisse psaltriam, ex Micionis responso intelligitur. vidit Be.

736. v. Servare. Non possum non existimare, et hic et in similibus Plauti locis, ubi totus fere lepor in agnominatione situs est, reponendum esse salvare pro servare; neque vox vel obsoletior vel minus usitata rusticum dedecet. Atqui H dilucide: salvare.

739. v. sed postquam. Vim suam Sed h. l. non obtinet, Sic comicum habet colorem. P. confunduntur si, sic, sed: vid. ad Heaut. prol. 13 et indice v. sed.

743. nam. v. iam, ταυτολογικῶς: nam idem hic valet. error frequentissimus.

744. v. Tun' (vel Tu, vel Tum, ut codex A) si meus esses; sed C: Iam tun' si m. e. Bene quadrat Nam, quo praesertim et servulus usus fuit: nam verba adversariorum repetere irati solent.

759. haec. ita Gu. 1, vetuste. v. hae.

773. v. abest meus, sententiae detrimento.

775. V.: ius aequum est esse, absurde. Be.: Mihi ius idem sit tecum, quod — prope verum. Ais. putas.

778. Vox Pythagorica, ut ait Tullius de legibus primo. Euripides Oreste: κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων. Gnomam πολυθρύλλητον etiam Menander alicubi usurpavit, teste Suida. cf. Erasmi adag. 1, 1.

786. v. eandem illam rationem, penitus obscurato verbo eandem.

791. v. Id de lucro putato esse, voce lucro male collocata, maleque item usurpata forma de lucro: nam dicitur quidem de lucro dare, vivere; sed inventam aliquam labore rem pretiosam putari de lucro non dicitur. De transpositum.

792. v. vere, vitiose. s. Noster p.: quae vera audivi, vera dicito, vera haec praedicat.

793. v. Et mi et tibi et illis, minus fortiter, maleque deproperatis mihi et tibi pronominibus.

796. v. ex quibus, asperiore metro.

801. v. — sapere, intelligere, in loco Vereri, inter se amare. sed quid differunt sapere et intelligere? Nempe Aeschinus intellexit vel scivit sapere et vereri in loco, cum vitiatam ducere constituit, Ctesipho interdum amavit, non saepe: nam patres, inquit Chremes ille Heaut. 154,

Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier. Se et compendium verbi dum, utraque minutis scripta literis, facile inter se permutabantur. Legitur quoque in vulgatis Scire est pro eo, quod nos excudi curavimus,

mus, Scires, minus illud quidem ex usu Nostri et Latinitatis. cf. Hec. 478.

807. v. Solum unum, ex int. horridoque metro.

815. v. Cum primo lucu vel luci, ut Be.; sed codex C: Prima cum luce, egregie collocato verbo Prima.

817. Pugnaveris. magnam rem feceris. sic Lucilius: Vicimus, o socii, et magnam pugnavimu' pugnam. Donat. Similiter et Plautus p.

828. v. — et cui rei opus est, ei hilarem hunc sumamus diem, m. l. codd. Vatic. Basilic. Bemb.: et cui rei est, ei rei h. s. d., quod miror omnino emendatum videri Faērno et Bentleio. Lego: cui res est, quod explicarunt per cui opus est, intellecto insumere hunc diem; utrumque recte. Eun. 52: ita erat res, i. e. ita opus erat.

830. v. apportet, moneat. sequor codicem B. Solon:

Γηράσκω δ', αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

841. Menander apud Stobaeum, ex nostra emendatione:

Οἷον τὸ γενέσθαι πατέρα παίδων ἐλλιπῆ!
Φροντὶς, φόβος, πέρας ἐδέν.

Bonus Ioannes haec dat: Ο. τὸ γ. π. παίδων, ἦν λύπη. Φόβος, φροντὶς, πέρας οὐδεὶν ἐστι. Vnde Be. emendatt. in Menandr. et Philemon. 55 haec effingebat:

Οἷον τὸ γενέσθαι πατέρα παίδων ἦν κακόν;
Λύπη, φόβος, φροντὶς, πέρας ἐστὶν ἐδεέν.

Sed caudam trahit istud πέρας ἐστὶν ἐδεὲν, neque additum κακὸν placet. ἐλλιπῆ, pauperem: nam dives talibus incommodis minus premitur.

Ibidem Menander:

Τὸ γυναῖκ' ἔχειν εἶναι τε παίδων, Παρμένων,
Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει.

misera, μέλεα: nam vulgatum miseriam peccat in accentu. similiter tua iusta Phorm. 246.

842. Heia corripientis interdum est auctore Donato ad Hec. 193.

843. v. vitam atque aetatem meam, ταυτολογικῶς.

852. v. hoc vel huc, vel, quod horum glossema est, eo. verum est hic, Micio: cf. 849, 50.

855. qui sum natu maximus. ut, mox me diem obire adeoque inopia non multum laborare, sit consentaneum. Maximus pro maior, ut quis pro uter.

862. v. Hoc v. est, et ipsa re experiere prop., ut p. est pro esse exaraverunt: nam nihil attinet, verum hoc esse asseverare Demeam, neque id dubitante Syro,

neque certe hiscente suspiciones suas; sed quod addit senex, veritatem dictorum experturum esse servum, et propediem quidem, id sane dicere et illius interest plurimum ad sustentandas partes, quas agere coepit, et scire huius, utpote blandimentis neque fisuri neque vel gavisuri, quod cupit Demea, nisi verum aliquod promissum accesserit. Deleta igitur inutili coniunctione verba ipsa re recte acuuntur, experibere arsi gaudet, restituta est poëtae forma futuri antiquior, qua et alibi usus, totaque adeo sententia ipso τῷ πρέποντι gratiam sibi conciliat. vid. ad Andr. 667, Heaut. 214, 773, 941.

873, 4. v.

Occidunt me quidem, dum nimis sanctas nuptias
Student facere: in apparando totum consumunt diem.

Vltra mensuram excurrit horum versuum posterior. cui vitio medicaturi Faërnus et Bentleius verbum totum expungebant, gravius id quidem et aptius, quam quod vel abesse quispiam cupiat, vel ab interpolatore procusum esse arbitretur. Imo verba In adparando totum consumunt diem senarium iambicum constituunt omnibus suis numeris absolutum. Non igitur haec tangenda, sed in praecedentibus ulcus quaerendum erat. Nempe cum τὸ student ex altero versu in alterum forte esset translatum, verba me quidem nescio quis addidit ad numeros integrandos, sicut p. pronomina scribae infersere. Facere peius etiam glossema, ut quod ne versum quidem intret: nam quod Bentleius corripiendam putat verbi student posteriorem syllabam, similiter lapsus est vir egregius atque Andr. 409. Eiusdem fabulae 31 habes: nil studebat, et s. p. studere usurpatur. Totum nostri omnes.

880. huic seni. mihi. vid. Andr. 282.

887. v. admittet: multa: obscure quidem. Atqui Bembinus et nostri codd. amittet, recte: multum sumtum amittere Micio dicitur, siquidem amissum erat quicquid turbae nuptiali insumserat iam inutili, cum, maceria diruta, non per viam arcessenda esset sponsa.

888. v. Ego lepidus ineo gratiam. Iube nunc iam etc. Sed Donatus haud dubie post lepidus distinxit, intellecto sum. vid. ad Andr. 578. Haud magis Iube cum sequentibus est coniungendum, sed, maceriam diruendam esse, denuo hoc verbo inculcat senex. Iamque nihil difficultatis habent illa Nunc iam — mi-

nas, irridente quippe fratrem Demea, quod quam ille re, adnumeratis viginti minis pro fidicina, eandem ipse verbis benignis gratiam inierit. Age, inquit, in posterum ille Babylo saepius det viginti minas: nihil eo magis quidquam profecerit quam ego.

889. ille Babylo. hoc est, ille Medus, ille Persa, Micio, propter nimiam profusionem sic appellatus: nam luxu infames Persae. vid. schol. ad Iuvenal. 3, 221.

903. MI. Est. quid postea? s. unus Bentleii et H. v. desideratur Est. Gu. 1: quid tum postea?

907. v. ducere, et te, pronomine male deproperato. et elegantius est asyndetum.

909. Aeschine. s. dilucide H. V. asine, quod abhorret a moribus Micionis. Faërni autem post tu abest C et vett. edd.

914. v. promisi ego illis, frustra.

920. v. amo, m. l. cf. 675. Be.: merito tuo te amo.

931. v. abest frater, omissum id, puto, propter sequens germanus. cf. Andr. 264. Be. addebat Micio, quasi absorptum a mihi; sed saepius id nominis hic inculcaretur.

935. v. bonus es. recte abest copula Helmstadiensi. vid. ad Andr. 578.

946. v. credo, utinam, nimis inficete. cedo. sine, permitte.

955. Istoc vilius. Charisius ex Suetonio, doctissimo antiquario, p. 180: Isto vilius: Rex qui vocabat ad coenam, si sibi ea res exhibenda indiceretur, quam exhibere non posset: Isto vilius, hoc est, Isto vilius erit coena. Non dubito, quin Terentius ad hoc dictum respexerit. Ergo I. v. perinde hic est ac Priora dedi, hoc non dabo. Be.

961. Ex vera vita. Micionis intellige, quem non dicit vere vivere, ut patruum deceat vel patrem, neque etiam aequum bonumque tantum faciendo gratiam nepotum, praesertim Aeschini, inire, sed adsentando, indulgendo, largiendo denique. Quid sit vere vivere, docebit Chremes ille Heaut. 102.

962. v. Sed ex ads., ind., et larg., M., m. l. Bentleii duo codd. non habebant ex, Donatus Oxon. Ms. habebat atque indulgendo. sed verius, ni fallor, nos atque elegantius. Adscriptum sed genuinam vocem obliteravit.

971. Istuc recte. Bene Micio non discessit de proposito suo, qui, ut peccasse alias ostenderet fratrem

ob nimiam asperitatem, cum exceptione quadam laudans verba eius: Istuc recte, dixit, quasi diceret: non ut cetera. Donatus. cf. Heaut. 1013.

ANNOTATIONES IN PHORMIONEM.

PROLOGI versu 6 v. scripsit. Fecit lectum olim fuisse, Donatus testis est, quod verbum proprium in poëta, ut recte Be. scripsit glossatorem sapit.

9. v. nova, quasi de comoedia tantum ista ageretur, in qua cervam plorare ineptissime finxit Luscius. verum et vix recte pronomen tunc abesset fabulam significans, et hoc parum omnino fuerat probare, semel cecidisse hominem: poterat stetisse multis aliis fabulis; poterat cecidisse non sua culpa, sed actorum. Volcatius Sedigitus libro de poëtis, leviter corruptus v. Gellii N. A. 15, 24:

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poëtae Comico cui deferant.
Eum meo iudicio errorem dissolvam tibi,
Vt contra si quis sentiat, nil sentiat.
Caecilio palmam Statio do Comicam.
Plautus secundus facile exsuperat ceteros.
Dein Naevius qui pretium servet tertium est.
Si erit quod quarto dabitur, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Attilium.
In sexto sequitur hos loco Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo causa antiquitatis Ennium.

Vides, non prorsus ignobilem fuisse Luscium, ut qui inter tam paucos prope Terentium nominetur, pluresque eum haud dubie comoedias populo approbasse, ut si semel tantum ista fabula ceciderit, si ceteris virtute steterit sua, vix dignus videatur senex qui multitudini propinetur deridendus. Atqui ipse mox Terentius:

Et mage placerent, quas fecisset, fabulas.

Placuisse Luscii fabulas, adversarius fatetur, magisque etiam placituras, si de se ipse existimet modestius neque alios prae se prorsus spernat. Atque id quidem isto loco. Sed quid tandem hoc, quem tractamus? Nempe non una fabula hic exagitatur, sed ipse scriptor maledicus, neque is eo, quo nunc est, statu

quippe iam senex favoreque populi exclusus, sed novus cum stetit olim, ut qui neque omnino placuerit, et actoris opera magis placuerit quam sua. Novus igitur Luscius mediocri plausu exceptus est, vetus novos retrahere ab studio et in otium tradere machinatur. Poterat quid amplius hic ad cohibendam hominis invidi iracundiam? poterat, pro ingenio suo, lenius humaniusque, et, ni fallor, verius etiam, in scriptore ignobiliore? Et ita quidem lectionis Novus, a me inductae, satis probasse mihi videor veritatem: nam s. p. Novus, velut Eun. prol. 42.

11. Versus quidem tam similis Andriae prol. tertio, ut inde male huc transscriptum existimarent eum Faërnus Bentleius alii, cum praesertim antiquissimis abesset libris Bembino Vaticano Victoriano. Verum cum et ii quoque interdum peccent, ipsa sententia est consideranda, quae sane haud inepta est, passim sugillando adversarios, inprimis Nostrum, taedium ereasse Luscium spectatoribus, nec similium versuum alia exempla desunt, velut Heaut. prol. 35, 36, Heaut. 773, huius prol. 31, Andr. prol. 25, Ad. 862.

16. v.: — novus, quem diceret, nisi h. c. malediceret. Prologum, quem diceret, dii boni, quam haec pinguia sunt, quam inelegantia! Visum id Guyeto quoque, critico non minus sagaci quam audaci, qui versiculum hunc delebat, nimis id quidem calide. Lusus verborum diceret, malediceret. absque hoc esset ego quoque expungenda haec existimarem; nunc minus. Ceterum quis expectaverit: nam quae diceret, etc. sed asyndetum hic amat: cf. Eun. prol. 19.

23. 24. v. De illo iam, proclivi lapsu. et inde est, quod etiam aientem hanc sententiam accipiunt. Be. dure: De i. tum — finem fecerit. H faciat. De se, sponte.

FABVLAE versu 3 cod. C semel, sed dilucide: reliqũum.

15. omne hoc pro omnia haec, more Graeco: vid. Sophocl. Antig. 1307.

Vbi initiabunt. Vt quidam (in his Varro) cibo et potu (ubi primum a lacte et a cunis transierunt infantes), ut quidam, sacris. Donat.

16. Non male C amittundi. Proprium mittere in in muneribus. Martialis 5, 68:

Arctoa de gente comam tibi, Lesbia, misi,
Vt scires, esset quam tua flava magis.

nisi fortasse reponendum sit potius: Vt sciris, quanto sit tua f. m. certe vulgatum Vt scires, quanto sit t. f. m. retineri, vetat Priscianus.

23. v. metu, et Quanto, prorsus obmutescente verbo metu.

28. Nostri dabo pro dico, ex int.

30. Quidni syllabam posteriorem corripit, recte: siquidem non est contractum ex quid nisi, sed positum pro quid ne, i. e. quid non, antique.

34. Oh, regem me esse oportuit. Ostendit pauperum affectiones, qui se solos uti divitiis scire aiunt, si eas habeant. Donat. Idem ad 304: Rex alias regnator, alias dominus, alias dives significat,

His sequentia in vulgatis adduntur: „Oh me regem esse oportuit. Acue me." quasi Donatus legendum censuerit Oh me regem etc., verbumque gravissimum, regem, prorsus deproperandum atque occultandum. Scilicet quia, pronomen acuendum esse, recte monuerat grammaticus, id nescio quis eius simia non alio pacto, nisi transposito me, fieri posse ratus, inscriptionem istam de suo addidit. quod vitii et alibi in istis annotationibus observatum est; vid. index v. Donati etc. Acuendum igitur est pronomen ita ut elidatur τοῦ esse prior syllaba, tanquam enclitici. Tractavimus eum locum Andr. 667.

52. in ludum. in locum, ubi discebat. Eugraph.

53. v. otiosi op. d. Ph., duris numeris. s. p. erratum est, velut etiam Plauti Epid. 5, 1, 21. Phaedrus: Lambe otio.

55. Tonstrina. Apta sedes otiosis, ait Donatus. cf. Aristophanis Plut. 338, Av. 1449.

57. v. Int. dum sed. illi, intervenit etc. quasi isti semper sedissent ibi, adolescens semper venisset; quod absurdum.

62. v. Miseram suam, ubi nescias, matremne miseram dicat an puellam. atqui hanc infelicem fuisse, sponte intelligitur in morte matris. s. misere amare, invidere etc. Seneca: miserrime lugere.

72. Capillus passus. Gellius N. A. 15, 15, ex nostra correctione: Ab eo, inquit, quod est pando passum veteres dixerunt, non pansum, et cum praeposi-

tione expassum, non expansum. Caecilius in Synaristosis:

Heri vero prospexe eumce ex tegulis
Ac nunciasse, flammeum expassum domi.

Capillo quoque esse mulier passo dicitur, quasi porrecto et sparso, et passis manibus et velis passis dicimus, quod significat diductis atque distentis, etc. Dedi in loco Caecilii Ac pro depravato Haec, quod malae isti librariorum consuetudini debetur de qua monui ad Andr. 269. Nunciasse videtur ille, quisquis fuerit, sponsam domi paratam esse. Apud ipsum Gellium, ni duplici nomine culpandum velis grammaticum curiosissimum, quod et idem per idem explicaverit, et quod sibimet damnata usus sit verbi forma, sane in posterum leges quasi porrecto et sparso, non, ut v. quidem, porr. et expanso. saepius haec confusa, velut et Heaut. 238 aliquot codd. praeferunt Capillus sparsus. vid. etiam ad Andr. 305.

79. se negat, intellecto se illius copiam ei facturam. s. saepe Noster, velut et infra 347.

83. v. illam, duriore numero.

89. qui pronomen est, quo incipiens Phormionem describere, cohorruit consideratione eius et in hanc vocem quasi confusus erumpit. Donat.

91. Lex est. vid. ad Ad. 626.

100. v.: Illa quidem nostra erit. DA. O ioc. a., pessimis numeris, et verbo nostra prorsus obscurato, quo nihil opus. Versui consulebant scribae; sed voces quales ille, illa, iste, ista, primis versibus recte deproperari, docuit Be. Schediasmate de metr. Terent.

111. Sic. vid. ad Heaut. 406.

112. v. Quod det fortasse, itidem numero haud suavi. sequor A codicem.

118. Dorcio. eius feminae. V. da hoc Dorcio, ex int.: nam ipsum Terentium τὸ da sic deproperasse, non credibile.

131. v. ut mihi liceat. sed modo vel si necessario arcessendum est, siquidem iuvenis dicit, se vel mortem libenter obiturum, si tamdiu amore suo frui liceat: tam male fortunas se ferre suas, tamque Antiphonis sibi videri expetendas. Facile mo et mi inter se permutabantur.

133. Quid — capiam. infortunium. et quid — copia. fructum ac felicitatem. Donat.

137. v. mihi est, eliso mihi. Quodsi nostri praeter H, ut iam, scriptos itidem secutus, edidit Be. v. Et si.

141. v. Retinere, amare, amittere. Amittere correctorem invenit Bentleium, amare Schmiederum, virum doctissimum, in nupera editione Nostri.

144. v. Is est ipsus, asperiore versus decursu. vid. ad Andr. 578.

148. v. potest, ut hic sit iambicus, male, siquidem neque status neque affectus hominis hic mutantur. V. quoque post haec inculcatur Andriae versus 180, quem abire, unde venit, recte iussit Be.

151. eius monosyllabum, sicut p. eius, cuius, huius.

157. mi. hoc v. desideratur; sed H: Q. hic mihi fugam.

160. v. Ah. Melius Vah convenit affectui. Hunc autem et dimidium sequentem versum in unum Be. coniungebat, trochaïcum tetram. catal., qualem quidem plerosque adhibuisse testatur Hephaestion poëtas Graecos, in his Callimachum, cuius unum huiusmodi versiculum ipse profert, alterum ex Anthologia dedit ad Callimachum Be.; sed id metri genus minime frequens, singularis quippe indolis, Lyricisque, ut puto, reservatum, neque a Terentio neque a Plauto usurpatum usquam esse constat, ut a difficilioribus in hoc genere Graecorum formis omnino abstinuerunt, uno excepto Seneca, Latini. quamobrem neque hic admitto. Plane autem sic ut nos fecimus hi versus dividuntur in codice A, nostrorum illo, ut videtur, antiquissimo, nisi quod Ah desideratur.

166. v. subito, ambigue quidem. sic celere consilium 145.

169. Sophocles:

Οὐ τοῖς ἀθύμοις ἡ Τύχη ξυλλαμβάνει.

176. v. A. Quid si assimulo? satin' est? G. Garris. A. Voltum cont. Sed ineptum est quaerere, sitne assimulandum necne, cum id ipsum iubeatur. Nec satin' est? locum habet, ubi nihil etiam feceris, in quo vel modum excessisse vel citra fines recti constitisse videri queas. Nempe sic a simili vocula si tractum est et voltum pro glossemate habendum, siquidem non vultus tantummodo, sed totus hominis status fingendus erat. Similiter infra 512: Contemplamini me.

Ceterum vel hoc loco intelligitur, nescio quibus machinis mobiles et in ipso agendo fingibiles fuisse personas histrionum: nam personatum in scenam processisse actorem, qui Antiphonis sustineret partes, non est quod dubites. Eruditissimus atque humanissimus C. A. Boettiger in Prolusione de personis scenicis,

vulgo larvis, ad locum Terentii Phorm. 1, 4, 32, 1794 edita, postquam docuit, eundem fere iisdem de causis apud Graecos et Romanos fuisse apparatum scenicum, neque audiendos esse, qui vel personas in eadem fabula ab eodem actore saepius interdum mutatas fuisse existiment, vel iis neque in omnibus tragoediis comoediisque neque semper usque ad Plaudite illud usos esse actores in animum inducant, confundentes scilicet histriones tragicos et comicos cum mimis, qui cum veros mimos agebant, non tragoedias saltabant, in scena conspiciebantur ἀπρόσωποι vel αὐτοπρόσωποι, ut ait Athenaeus, vulgo perperam acceptus, 10, 20 p. 452 F, ubi iam ipse hic venit excutiendus Terentii locus: „Primum, inquit, persona ipsa actoris, cui Antiphonis partes agendae essent, tam artificiose coagmentata et constructa esse potuit, ut levi labiorum aut maxillarum impulsu contrahi posset dilatarique pro lubitu actoris, quod magnam vim habuisse ad vultus hilaritatem aut tristitiam exprimendam vero consentaneum est. (Personas ita aptatas fuisse, ut in varias partes circumagi possent et versari, vel ex eo apparet, quod saepius in antiquae artis operibus pars anterior personarum ad occipitium retracta caput plane aperiat. v. Picturas Herculanenses T. 4 t. 34, ubi, quae de dimidiata persona comminiscuntur commentatores p. 165 seq. plane nihili esse reperies, si cogites, pictorem personam fastigio capitis inhaerentem aliter exprimere non potuisse. Digna est inprimis, quae hic comparetur, gemma antiquae scalpturae, quam e dactyliotheca Townlei. primus vulgavit Raspius in Tassie's Catalogue n. 3564. p. 240. Ponamus ipsa verba: The poet in the philosopher's cloak sits before a terme, distributing the parts to six actors and actresses, who have not their masks on their faces, but thrown on the crown. Ceterum ad omnem illam personarum machinationem penitius cognoscendam diligenter inquiramus oportet in materiam, e qua personae scenicae conflatae fuerunt ab artificibus σκευοποιοῖς (hoc enim proprium illorum nomen, qui personas conficerent: Polluc. 4, 115. Aristoph. Equ. 232 cum Schol.) Scio, vulgo perhiberi, fuisse illas e ligno vel cortice (i. e. subere, Kork: v. Beckmann's Beyträge zur Gesch. der Erfind. T. 2 p. 478) excavatas. Sed qui hoc asserunt, oscilla in pagis cum larvis scenicis confundunt, et quem Du Bos Reflexions critiques sur la poesie et la peinture tom. 3 p. 263 e Bulengero 1, 45 p. 130 de theatro locum

laudat Prudentii, ad illum Virgilii versum confictum esse, ignorant. Fuerunt haud dubie personae illae ab histrionibus usurpatae creteae, ut Lucretius 4, 298, secundum verissimam Creechii emendationem, appellat, i. e. opere figulino ex argilla confectae. Creta enim in universum de argilla dicitur apud Latinos. v. Beckmann l. l. t. 1 p. 479. Figulorum arte illas confectas esse, patet e pluribus eiusmodi personis, quae adhuc in Museis Italiae et Galliae (dignus notatu locus apud Pownall in libro bonae frugis plenissimo Description of Antiquities of the Provincia Romana. Lond. 1788. 4. p. 144.) monstrantur. Hinc in lucernis fictilibus tot exempla occurrunt ad personarum similitudinem effícta, quod figuli veteres hac forma, in qua exprimenda saepius elaborarent, valde delectarentur. Putarim igitur, haec figulina cum pileolis e coactili opere (πιλίδια sub personis, ne urant cutem, explicat Vlpianus ad Demosth. de falsa legat. p. 130 C. edit. Frf.) aut pellibus (crinium enim et comarum ornatus, qui inprimis in his personis spectabatur, sine pellibus, quae cohaererent cum figulinis et argillaceis larvis, vix cogitari potest; unde explicandus locus Horat. serm. 2, 1, 64, ab interpretibus neglectus) ita coagmentata fuisse, ut vel minimo momento deorsum produci aut sursum levari possent. Os ipsum personarum circa labia mobile fuisse videtur. v. Diog. Laert. 7, 20, ubi Zenonis dictum profertur δεῖν — τὰς ὑποκριτὰς τὸ στόμα μὴ διέλκειν, quod Zeno dicere non potuisset, nisi histriones os saepe diducere soliti fuissent. Vnde conficitur, personas ipsas circa os et maxillas flexibiles fuisse. Iam confer locum Terentii nostri Eun. 4, 4, 3: Illud vide, os ut sibi distorsit carnufex. Atque hinc ῥυτίδες etiam, in personis a Polluce diligenter commemoratae 4, 146 sqq. explicandae esse videntur. Rugae enim in figulino opere, quod tenuissimum fuisse in larvis fabricandis satis constat, exprimi vix potuerunt. At in pellibus agglutinatis id facile effingi potuisse, quis non videt?)

„Forsan et huc advocare possumus illam rationem, qua duplicem in eadem persona vultum, tristiorem alterum, alterum laetiorem, exhibitum esse spectatoribus e veterum scriptis et antiquae scalpturae gemmis nonnullis manifesto apparet. (Egregie hanc coniecturam de personis bipartitis, quarum dimidiatus vultus partim senem truculentum et superciliosum, partim hilarem et remissum ostenderet, adiuvat locus Quinti-

liani 11, 3, 74. Sermo est de comoedis:" Pater ille, cuius praecipuae partes sunt, quia interim concitatus, interim lenis est, altero erecto, altero composito est supercilio, atque id ostendere maxime latus actoribus moris est, quod cum iis, quas agunt, partibus congruat."

Laudare debuissent interpretes locum Pollucis 4, 144, ubi senex ἡγεμὼν, i. e. primarum partium, τὴν ὀφρὺν ἀνατέτακε τὴν δεξιάν. Adde, quae de Lycomedio sene paulo inferius commemorat Pollux 4, 145. — Huc pertinet, quod persona Thamyris in tragoedia Sophoclis duplici oculo formata esse dicitur ab eodem Polluce 4, 141, quod ad dimidiatas hasce personas referendum esse, pulchre vidit Lessingius Leben des Sophocles p. 105 sqq., vestigia sequutus Abbatis du Bos Reflexions etc. t. 3. p. 189. Atque hinc lucem accipit obscurissimum epigramma Callimachi t. 1. p. 322 ed. Ern. sive Anal. Brunck. t. 1. p. 467, 28, ubi verba illa ἥμισυ δ' ἅπτει haud dubie referenda sunt ad personam eiusmodi dimidiatam, cuius altera pars in fornace figula nimis percocta et igne infuscata esset. — Nec desunt in ectypis gemmarum, quas Ficoronius publicavit, exempla, quae apprime huc faciunt. Huc enim referendum esse putem figuras tab. 46, ubi quae dissectae et quasi bifrontes apparent larvae, in unum vultum coaluisse putandae sunt, et tab. 60 ectypon e plasmate, quod appellant, smaragdi. E scena dimidiatos hosce vultus et inter se discrepantes ad alias picturas transiisse probabile est. Insigne picturae huiuscemodi exemplar, dimidiatum Alexandri M. et Caracallae vultum referentis ridet Herodianus 4, 8. tom. 2 p. 914 ed. Irmisch.: ὑπὸ περιφερείᾳ κεφαλῆς μιᾶς ὄψεις ἡμιτόμους δύο, quod scite interpretatus est Strothius in Indice ad Chrestomath. Gr.)

„Porro autem hoc perpendamus oportet, non in nostris theatris rem agi, ubi vel oculorum acie e propinquo, vel perspicillis arte vitriariorum fabre factis e remotiore loco intueri licet et rimari singula oris lineamenta, quae histrio ad lubitum fingit; sed in vasto illo veterum theatrorum ambitu, in quo si oculorum ardorem et argutas significationes excipias, quas per foramina personarum in actoribus etiam observasse spectatores e testimoniis veterum satis liquet (Cic. de Orat. 2, 46, ubi de affectu actoris tragici rem fictam non sine furore quodam recitantis: In hoc genere saepe ipse vidi, cum ex persona mihi ardere oculi hominis viderentur, spondalia illa dicentis. — Fora-

mina grandiuscula relicta erant in personis, per quae oculi et os manifeste apparerent. cf. Ficoronius, Goethianus libellus Das Röm. Carneval, picturr. Herculann. t. 4 tab. 34, ubi servum tibicini assidentem ita depictum cernes, ut e persona oculi eius et labia pulchre discerni possint.), vix quicquam dignosci poterat a spectatoribus, de reliquis actorum gestibus et cantu magis quam de vultu sollicitis.

„Quae cum ita sint, facile equidem inducor ut credam, nonnulla in hoc etiam Terentii loco exprimi potuisse ab actore per ipsam personam, ut ita dicam, emanantia et enitescentia; alia auribus magis quam oculis accepisse spectatores, versutissimi servi, herilem filium ad nequitiam fingentis, calliditatem admirantes, et quae vultu personato exprimi non possent, facile ex ingenio supplentes. (Sic cepisse videtur hunc locum iam olim Donatus ad h. l., cuius doctissima scholia utinam minus truncata et mutila ad nos pervenissent, recentiorum interpretum animadversionibus (si Lindenbrogium et Dacieriam excipias, qui ipsi quoque Donato plus debent quam sagacitati suae) plerisque omnibus anteponenda. Scholia ad h. l. ita se habent t. 2 p. 1092 ed Westerhou. „Hic locus actoris magis quam lectoris est. Ostenditur enim conari ad simulandam audaciam. Quo magis ridicula est formidolosa persona." Sic interpungenda sunt postrema verba, deleto commate post est, quibus innuit eruditissimus grammaticus, personam Antiphonis ita effictam fuisse, ut formidinem quandam et tristitiam prae se ferret. Quod cum e persona plane deleri non posset, irritos conatus audaciae simulandae eo effusiore spectatorum risu exceptos esse.)

Hactenus vir doctrinae hodie inter Germanos et fortasse Europaeos amplissimae. cf. eius libellus Die Furienmaske, inprimis pagg. 133, 4.

182. Huc pertinuerit Menandri illud apud Stobaeum tit. 79. ex emendatione Bentleii Emendatt. in Menandr. et Philem. p. 88, nisi quod copulam versu 2 ipse addidi:

Αἰσχύνομαι τὸν πατέρα, Κλειτοφῶν, μόνον,
Ἀντιβλέπειν δ' ἐκεῖνον οὐ δυνήσομαι,
Ἀδικῶν· τὰ δ' ἄλλα ῥαδίως χειρώσομαι.

184. vitam meam. me. sic Graeci βίος vel αἰὼν ἐμὸς pro ἐγώ. vid. ad Sophoclis Oedip. Col. 770.

186. Ego plectar pendens. cf. Andr. 831, 835, Eun. 965. Haud scio an Romanis proprium in hoc

genere fuerit, pendentes mulcari servos servasque: Plautus Asinar. 2, 2, 33 sqq.:

LEONIDA.

Quot ted esse pondo censes nudum?

LIBANVS.

Non edepol scio.

LEONIDA.

Scibam ego te nescire; at pol ego, qui ted expendi, scio.
Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.

LIBANVS.

Quo argumento istuc?

LEONIDA.

Ego dicam, quo argumento et quo modo.
Ad pedes quando adligatus aequom centupondium,
Vbi manus manicae complexae sunt atque adductae ad trabem,
Nec dependis nec propendis quin malus nequamque sis.

Ad quem locum docent inttpp., solitum fuisse alligari ad pedes servorum pendentium pondus aliquod, ne inter vapulandum calcitrarent, tamque saeve a sontibus sumtum interdum id supplicii in ergastulis vel latomiis, ut totam diem aut noctem pendentes flagris exagitati fuerint. Aliud Graecorum ξύλον; aliud, ni fallor, κύφων, et quae horum similes poenae memorantur apud antiquarios, ut Andr. 835 deleta cupiam verba: Graecis audit κυφωνισμός.

197. Itane producit mediam, ut saepius. vid. infra 504, Eun. 642, Hec. 758.

201. v. aliud, ex int. sequor H.

209. Cicero, ubi laudat hunc locum, Tuscul. disputatt. 3, 14, omittit exilia, quod verum esse neque inducendum Tullii semper secum cogitet, Thesei Euripideae fragmentum hoc docet, quod exprimunt Terentiana:

Ἐγὼ δὲ, τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινὸς μαθὼν,
Ἐς φροντίδας νοῦν ξυμφοράς τ᾽ ἐβαλλόμην,
Φυγάς τ᾽ ἐμαυτῷ προστιθεὶς πατρας ἐμῆς,
Θανάτους τ᾽ ἀώρους καὶ κακῶν ἄλλας ὁδοὺς,
Ὡς, εἴ τι πάσχοιμ᾽ ὧν ἐδόξαζόν ποτε,
Μή μοι νεωρὲς προσπεσὸν μᾶλλον δάκοι.

Gu. 1: cogites.

212. v. eveniat, minus recte.

215. habendum. sic H, ut legi iussit Be. v. habendae.

219. Vett. edd., in his Antesignani, nescio qua auctoritate, omittunt τὸ Phaedriam. Versus tunc foret iambicus senarius.

224. v. hic, minus ex usu Nostri.

227. v. Dari mihi in c. sed corripi nequit verbi dari syllaba posterior, omitti potest pronomen.

228. v. illum, κακοφώνως, siquidem sic haberemus uno versu quinque voces M litera terminatas, et earum quatuor continuas.

229. v. Atqui nil fecit. sed nil, si genuinum esset, totius sententiae gravissima vox ut in thesi lateret, et leviculum Atqui ut praecipuo gauderet accentu? absit ab arte Terentiana talis macula.

231. Be. Vnum cum noris. C: Vnum cum cognoris. sed vix reprehendenda est vulgata.

232. v. in noxa; sed plerique codd., in his B, et vett. edd.: Hic in noxia est, unde iam Glareanus Helvetius coniecit legendum esse: In noxia est hic, ille ad defendendum adest. Be.: Cum in n. etc., minus quidem vivide.

233. Vulgatae ex int.: Cum ille est, quibus non erat quod obtemperaret optimus Be. S. p. Afer, velut Ad. 92—96.

237. v. ex q. re m. rei foret aut fam. temp., primum male collocato re posteriore, quod cum sponte accentum sibi poscit metricum, tum eo frui, et praecipuo quidem, debet, quia seni haec dicuntur, cui re nihil antiquius; dein laesa τῇ foret temporum consecutione: nam et praecedunt et sequuntur praesentia; postremo turbatis numeris inducendo aut pro vel, quae saepius inter se permutantur.

242. v. omittitur aut, quod addi poscit elegantia et usus Nostri. Sotades:

Ὁ πένης ἐλεεῖθ', ὁ δὲ φθονεῖται πλούσιος.

250. tum ibi. s. etiam Plautus Curc. 5, 2, 48.

258, 9. Hoc ex iure tum Graecorum. tum Romanorum. vid. Köpke Über Gesetzgebung u. s. w. der Griechen p. 697.

260. v. Addo istuc; alii codd., in his nostri, Adde. utrumque fraus et corruptio: nam quid tandem se additurum dicit, si dicit, senex? Nempe actum, quod aiunt, ageret: siquidem de timiditate Antiphonis dixit Phaedria, de imbecillitate sua, ut servi, Geta. Vnde igitur, quaeso, istud Adde vel Addo? Scilicet, eandem harumce vocum originem fuisse, quae fuit, nisi fallor, verbi ad Eun. 1021, ut omniad primum degeneraverit

in omnia ad, mox, ubi praepositionem plane abhorrere ab hoc loco senserant librarii, mutatum fuerit in addo vel adde. Istaec contemnentis est.

271. meritum est. intellige: ab omnibus, Antiphone, Phormione, muliere, Geta denique, sed inprimis a Phormione; quare istum sibi prae aliis exposcit.

273. v. Nempe Phormionem. sed si iam certo scit Geta, quis ille sit, nulla causa est, cur describere pergat Demipho, quem convenire cupiat. Atqui vett. edd. Num Phormionem? sed saepius, inter se permutatae in scriptis deprehenduntur literae a et e quam a et u, et iam intelligitur, novasse magistros, ne vetuste loqui adsuescerent discipuli. Litera p, unde max factum pe, ex sequente voce huic adhaesit. Legitur quoque v. istum patronum; sed antecedente quidem versu contemnens istud gravissima sententiae vox fuit, hic, ubi se explicat senex, verbum patronum plus habet ponderis, itaque praecipue acuatur necesse est, accentu retracto: pátronum istum mulieris.

288. v. atque ex crimine etc. Repeti ut, sermonis elegantia requirit.

290. v. hoc saepe. sed si saepe tantum, quid hoc ad praesentem rem? Nunc illud vereri illum, id dicendum fuit, idque ipsum iam dicit. semper. quandocunque rem novam aggrederis.

291. Imago petita a sagittariis, ut recte observat Donatus.

294. v. quo magis novi. Atque noverit sane, si deverberaverit, nisi forte ebrius id fecerit et illuni nocte; quod alienum: sed quid hoc de se narrare vel ipsius interest, vel scire Getae? Nempe notos ac potentes homines, non obscuros, a se mulcatos esse, gloriabundus garrit parasitus. Cui rei probandae unus locus sufficiet, Eun. 704, ubi Thais de milite:

— quicum res tibi est, peregrinus est,
Minus potens quam tu, minus notus, minus amicorum hic habens.

Saevius quoque dedi pro vulgato saepius, quomodo et alibi et notissimo Horatii loco erratum est, odar. 2, 10, 9.

304. regi. τυράννῳ. Blandimentum hoc solenne amantium, parasitorum, humiliorum denique, aevo praesertim seriore atque ἀνελευθέρων. Bathyllum Anacreon vocat

— ἁπάντων
Κρατοῦντα καὶ τύραννον,

regnum Cynarae habet Horatius od. 4, 1. cf. Musgrav.

ad Sophoclis Trach. 210. Lindenbrogius ad h. l.: supra Eun. 2, 2. Aristides πρὸς Πλάτωνα p. 117: ὥσθ' ὅπερ δοῦλος πρὸς δεσπότην, τοῦτο κόλαξ πρὸς τύραννον συμβαίνει. Plauti parasitus in Asinar, 5, 2, 69:

> Regem perdidi; ex amore tantum est homini incendium.

vid. Acron ad illud Horatii epist. 1, 5, 6: imperium fer. Sic ille. cf. supra 34, item inttpp. ad Plauti Capt. 1, 1, 24. Martialis 2, 68:

> Quod te nomine iam tuo saluto,
> Quem Regem et Dominum prius vocabam,
> Ne me dixeris esse contumacem.

vide et proxime sequentia.

305. v. — venire, unctum atque lautum, aegre audito verbo unctum.

Asymbolum venire. Hoc nomen constat inter parasitos confictum atque compositum esse. Contra illud in Andria (61): symbolam Dedit, coenavit. Donat. Graeci, monente Lindenbrogio: ἀσυμβόλως δειπνεῖν.

Iterum Donatus, v. corruptior: Haec non ab Apollodoro, sed e sexto satirarum Ennii translata sunt omnia:

> Quippe sine cura, laetus, lautus quom advenis,
> Infertis malis, expedito brachio,
> Alacer, excelsus, impete lupino expetens,
> Mox dum alterius abligurrias bona,
> Quid censes domino esse animi? Proh divum fidem,
> Tristis cibum dum is servat, tu ridens voras.

Voracitatem istius nationis etiam Plautus lepide exagitat Boeotia, ubi sic parasitus quidam:

> Vt illunc di perdant, primus qui horas repperit,
> Quique adeo primus statuit hic solarium,
> Qui mihi comminuit misero articulatim diem!
> Nam puero med uterus hic erat solarium
> Multo omnium istorum optumum et verissimum:
> Vbi istic monebat, esse, nisi quom nihil erat;
> Nunc etiam quom est non estur, nisi soli lubet.
> Itaque adeo iam oppletum oppidum est solariis,
> Maior popli pars aridi reptant fame.

vid. Gellii N. A. 3, 3. Nosti quoque ista Gelasimi Plautini Stich. 1, 3, 1:

> Famem fuisse suspicor matrem mihi:
> Nam postquam natus, satur ego nunquam fui.

Ita enim legendum censeo pro vulgatis: N. p. natus sum,

sum, satur nunquam f., ne vox satur in thesi delitescat, copulaque perperam extollatur.

313. v. Si eam, sed μονοσυλλάβως fere apud Comicos, praeterquam extremis versibus, pronuntiantur huius pronominis obliqui casus excepto genitivo pluralis numeri.

316. agis. s. B, recte. C et H: ages, ut antiquiores omnes. v. mendose: age. st. Sensit Be.

318—320. Vulgati libri tam scripti quam impressi, uno excepto Gu. 1, a quo abest versus, cuius initium Hanc Demipho:

1 Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?
2 Hanc Demipho negat esse cognatam? G. Negat.
5 D. Ipsum esse opinor —
3 PH. Neque eius patrem se scire qui fuerit? G. Negat.
4 PH. Nec Stilphonem ipsum scire qui fuerit? G. Negat.

Pinguis oratio fraudem prodit. Scilicet, nominibus Phanium et Stilphonem accrevisse paulatim horum versiculorum primum et ultimum. et hic quidem Bentleio quoque suspectus fuit, siquidem ineptum sit, hic nomen scire Phormionem, mox perdidisse. Recte autem 318 extremo liber A Berolinensis addit: G. Negat. In H hi versus ita ordinantur ut numeris adscriptis indicavimus:

332. v. — narras. P, In malam crucem.
Nam — graves
Ob hanc inimicitias caperem in vostram familiam.

Be. ex Bembino: i in malam crucem. codd. nostri et plerique alii: abi hinc in m. c. Vtrum horum eligas, perinde est; sed hocne feres, verbum hanc, in quo tota vis sententiae sita est, ita corripi, ut vix audiatur? Quin haud ferendum, medicinamque igitur loco circumspiciendum est. Vide autem, ista abi in malam crucem, seu Getae tribuantur seu Phormioni, sicut vulgo, quam male rei conveniant. Quid enim, quaeso, dixit Phormio, quod tantopere sit retundendum? At is tantum, Stilphonem optimum fuisse. Rursus Geta quid dixit? Nempe admonuit parasitum, quis ipse sit, quis Demipho, considerare, cum tam audacter loqui libeat (Videas te atque illum, ut narras); quod vel amici est ob voluntatem laudandi, non hominis tam dure, praesertim a non inhumana persona, castigandi.

Abeant igitur ista unde malum pedem tulerunt: nam interpolatoris haud dubie foetus hic est, ut passim verbis i vel abi adscripta perperam in codicibus invenias in malam rem, in malam crucem. Abi solum retinebis, quod quidem optime hic quadrat, utpote leniter refellentis: vid. supra 25, infra 504, 955, Ad. 194. Paulatim crescunt irae Getae: Si herum insimulabis malitiae, male audies. — Videas te atque illum, ut narras! abi! — Pergin' hero absenti male loqui, impurissime (hoc est improbissime)? — Ain' tamen, carcer — Bonorum extortor, legum contortor? —

334. Verbum ego male abesse a vulgatis, metrum vincit, siquidem pedem metricum qualem hunc Ob hanc ini- nemo ne primo quidem versu ferat, verbaque ibi reliqua inimicitias caperem in vostram familiam nihil aliud esse possunt quam iambicus senarius ἀκέφαλος: Similem locum tractavimus Andr. 409. Temere autem vel addi solent vel omitti a librariis pronomina.

335. Quam. Ordo est: Ob hanc, quam is adspernatur. Donatus.

337. v. ain' tandem, m. l.

342. Adolescens. Est haec auctoritas in senibus, ut, qui minoris aetatis fuerint, illos appellatione pueri vel adolescentis vel iuvenis etiam offendant, ut hocce nomine illis quidem detrahant, sibi vero auctoritatem attribuant. Sic Virgil. 12, 19 (Latinus Turno):

O praestans animi iuvenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tanto me impensius aequum est
Consulere atque omnes metuentem expendere casus.

Donatus. sed angustius coarctanda est haec regula: cf. Hec. 746. Legitur autem v. hoc in loco: ostendant (vel quod peius etiam appellent): ut hoc de nomine etc. Itidem Donatus: Bona venia. Sine ira, sine discordia. Recte quidem, nisi quod ironice h. l. usurpatur formula, ut et sequens Si tibi placere potest.

343. Si tibi placere potis est. Formula, bona alterius venia quid dicendi faciendive, cui similes Si vis, Si quid lubet, Si tibi videtur. Dicitur autem fere Si tibi placet, sed bene potis est moribus Demiphonis convenit, per ironiam civilius etiam ac vulgo hominem compellantis, quem nihili facit: si tibi placere potest, si absque tuo incommodo fieri ullo modo possit.

360. v. Ego tum si advenissem, q. m. C. ea e. di-

cerem: idem tu face. At vero qui tunc dixisset Demipho, quod nescire se etiam nunc fatetur? et fac, eum hoc sibi dicendum quamvis absurde arbitrari, quod adversarii est explanare ac probare, cur iam minus id dicit, quam tum in iudicio dicturum se fuisse ostendit? cur iam id muneris, quod significat suum esse, quasi mutato statim consilio, Phormioni defert? Sane si ita garriret senex, iam nunc in eum convenirent, quae infra Phormio 912: Nolo, volo; ipse vero Afer talia si scripsisset, haud profecto levius peccasset, quam Luscium Thesauro peccasse ait Eunuchi prologo. Reponendum vi sententiae id iam pro idem, et diceres, i. e. dixisses, pro dicerem. De hoc usu imperfecti vid. ad Eun. 800.

362. v. qui est cognata? non recte eliso qui.

367. Hunc inter et sequentem versum v. talis legitur *ταυτολόγος* et pessime collocato iterum, verbo gravissimo, interpolatoris se foetum prodens:

Iudicium de eadem causa iterum ut reddant tibi.

Ceterum hoc ex iure omnium gentium nefas habetur. Demosthenes contra Timocratem Reisk. orat. Graec. 1, 17: *Οἱ νόμοι οὐκ ἐῶσι δὶς πρὸς τὸν αὐτον ὑπὲρ τῶν αὐτῶν οὔτε δίκας, οὔτε εὐθύνας, οὔτε διαδικασίας, οὔτ' ἄλλο τοιοῦτο οὐδὲν εἶναι.* cf. Petiti legg. Atticc. tit. 8. pagg. 27 et 361.

376. v. I. t. quaeso, item ut mer. ubi ab. sis, verbo meretricem obscurato. codd.: item, itidem, C: itidem civem ut mer., inconstantes quippe in glossemate. Sies habet H. Vox meretricem retrahit accentum.

382. Actum ne agas. Proverbium a iudicio petitum. vid. supra ad 367.

389. v. Ir. est. PH. Tute idem melius feceris. quae frustra declarare student editores. Tantundem Getae respondet Phormio, sua nihil interesse significans, ita faciat necne senex; Melius feceris respondet Demiphoni, i. e. Bene feceris, Bene facis. vid. index v. melius, Eun. 412.

390. infelix. pessime. vid. ad Andr. 855.

397. v. senectutem, gratis corrupto versu.

405. v. qui me et se hisce i. n., perperam elisis vocibus me et se. Et mihi quidem maxime videtur probabile, Nostrum reliquisse: Gnatus, qui med hisce i. n. Non intellectum sequioribus illud d cito transiit in t, ut pro med exararetur primum met, mox, gliscente corruptione, me et, quo cum perventum esset, quia coniunctio aliud nomen post se requirere vide-

batur, pugnasse se arbitratus est nescio quis sciolus, ubi, quod primum se obtulit, se, inculcavit. vid. de hisce formis ad Eun. 1021. Haec igitur mea de hoc loco est opinio, cui multum tribuo; nec tamen nego, etiam verba me suis facile degenerare potuisse in me et se iis, mox in me et se his vel hisce, ut p. permutantur iis et his; vulgata autem retinenda esse invita arte Terentiana circa metra, id vero pernego.

411. v. mene vis? ex int. Be. te resecabat. sed cf. Andr. 421.

430. v. magis, minus apte ad versum.

434. v. iamd. hic te absentem incusamus, qui abieris. Sane quidem absentem, qui abierit. Absentem haud dubie natum ex verbis abs re te, quae unice hic quadrant. H recte hinc. Transponere verba Noster amat.

437. v. ecquid spei, occultata voce spei.

443. v. ut aiebat. Be. id aibat, minus quidem probabiliter.

446. v.: nam per eius unam, ut audio, aut v. a. m. sent., versu ὑπερμέτρῳ. Be.: n. de eius una — sententia.

449. v. taedet iam audire, frustra.

453. fuat. s. Coelius apud Ciceronem Fam. 7, 1: Te, quod illorum capiti sit, dissiparant periisse. cf. Tibull. 1, 2, 12. V. suat, intellecto dolos vel quodam simili, quomodo nec suere nec ῥάπτειν, absolute quidem, usurpari solet, qui est error Mureti. Ex Be.

Aristophanes Plut. 526, Pac. 1061: ἐς κεφαλὴν σοι! Scire se πρᾶγμά τι ὅθεν πάλαι καττύεται, coriarius Cleon dicit apud eundem Equ. 314, non absimiliter atque mulieres dicuntur ὑφῆναί τι ἐπὶ τυραννίδι Lysistr. 631. qualia p. reperias, sed omnia figurata.

Vereor pro vulgato metuo praebuit Bemb. In Ne quid intell. confecerit. cf. 471, 2.

467. v. huiusm. unquam usus, ex int., versu autem vacillante.

468. Auribus teneo lupum. Graecum proverbium Τῶν ὤτων ἔχω τον λύκον· οὔτ' ἔχειν οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι. Donat. Dicitur in eos, inquit Erasmus adagg. 1, 5, 25, qui eiusmodi negotio involvuntur, quod neque relinquere sit integrum, neque tolerari possit. Videtur ab eventu quopiam natum, ut alia pleraque, aut inde certe, quod ut lepus auribus, quippe praelongis, commodissime tenetur, ita lupus, quod aures habet pro corpore breviores, teneri iis non potest, neque rursum citra summum periculum e manibus dimitti bellua tam mordax.

vidd. etiam Lindenbrog. ad h. l. et, quem et ipse et Erasmus laudant, Sueton. Tiber. 25.

469. v. quomodo, vel quo pacto, ut Be., a me amittam, ex int. nam quod censuit Anglus egregius, si retinendus sit versiculus, ipsi νοθείας suspectus, delendum esse invenio, id minus placet, quia tale verbum cur addiderit librariorum genus ineloquens, causam reperire est difficile. Oblitus autem sum reponere mittam pro amittam: nam qui elidi, nemo patienter ferat.

481. v. Neque ego neque tu. inepte. Lusus verborum hic est, lenone, quod illorum amorem distrahere dictus est, per eandem metaphoram respondente: se neque nectere istum amorem, i. e. nexum nolle, non approbare.

487. haec. meretrix, ut bene quidam apud Donatum. Lusus et hic verborum.

494. v. si mihi prior tu att., ex int., versu quidem laborante.

496. v. huic argentum, ambigue propter cui sequens. vidit Guyetus.

497. pote fuisset. s. Bemb. Victor. Mead. v. inconcinne potuisset. Ex Be.

500. v. opus est, ben. r. ei exp. r.? plane depresso verbo opus, pravoque accentu verbi beneficium.

504. Etiam tu hinc abis? Fortius hoc quam Abi. vid. ad 332. Idem valet Non tu hinc abis? Eun. 743. Similiter Graeci. Vlysses inobedienti Neoptolemo Philoctetis Sophocleae 949:

Οὐκ εἶ, μεθεὶς τὰ τόξα ταῦτ' ἐμοὶ, πάλιν;

505, 6. v.:

— — — mali:

Ni etiam nunc me huius c. q. in m. i. cr.? Non triumpho, i. e. Nonne praeclare mecum agitur, si nihil ex nuptiis tuis capiam incommodi? ne nova pericula me adire cogas. cf. Andr. 675, 6.

508. v. parumne est; sed neque rum in parum recte corripitur enclitico sequente, nec sed deproperari decet.

510. v. in ignotum. abest praepositio libris nostris, et eleganter abest, iudice etiam Mureto.

511. v.: Dum igitur, dum licet. sed posterius hoc dum haud comparet in nostris, oneratque versum. Be. ex Servio ad Virgil. Aen. 9, 484: Quin igitur, minus παθητικῶς. Dum prius ictum non eliditur.

521. v. aufer te. Be.: Auferte absolute, ut Ad. 911,

intell. amplexari, quia uterque prae gaudio in amplexus Getae ruebant. — V. etiam: iam opus est, perperam eliso iam, verbo maximi ponderis.

522. v. vel post hunc versum vel post 524 in vett. edd. et MSS., praeter Bemb. Victor. et nostrum B, haec leguntur: Abi, dic, praesto ut sit domi, quod merum glossema est monentis nescio cuius, Phormionem supra 403 dixisse, domi se fore, indeque esse, quod Geta sic pro certo affirmet: Praesto est. Ac, quod v. abest, usus requirere mihi videtur; i. e. et quidem. Legitur quoque impone et feret, minus bene.

526. v. exanimatam, numeris durissimis. intus, in animo, ut Persius: ego te intus — novi.

529. v. quid ita non? mendose. s. et similiter hic et Plautus.

540. v. desideratur Audii, quod praebet H, legiturque ex int.: quod q. me factum c. i. f.

541. Omnes nostri praeter H, qui omisit vocem, extraneo.

549. Apollodorus:

Ἐγὼ γάρ εἰμι τῶν ἐμῶν ἐμὸς μόνος.

561. Opperirier. s. recte H: nam v. quidem: opperiri: eo me esse. Ictu iam gaudet eo.

564. v. uno duo sunt mihi dati, verbo duo latitante.

571. meum. s. H. v. patrem, quod interpretis. vid. index v. meae.

572. v. noster Chreme. CH. Salve Geta, non recte collocato verbo Chreme, si genuinum esset; sed sane est glossema.

573. v.: M. a., ut fit, nova hic compluria. sed quis ferat hoc verbi multa compluria? et nova erat acuendum. Plautus Pers. 4, 3, 65:

— sensi ego compluries,
Neque mi haud imperito eveniet, tali ut in luto haeream.

cf. Gell. N. A. 5, 21.

580. istanc. ita H, ut scribi solet apud Comicos illunc, illanc, istunc, istanc, illaec, istaec, ubi posterior horum syllaba acuitur.

605. quantum? dic. Chremeti haec tribui iubet Be. omnia, minus bene: nam imperativus domino rectius conveniet.

623. Quid, si animam debet? Graeci τὴν ψυχὴν ὀφείλειν, i. e. animam seu vitam debere; ψυχὴ autem in periphrasibus personae: vide nos ad Sophoclis

Oedip. Col. 770. Erat enim, inquit Erasmus adagiorum 1, 10, 24, antiquitus lex, ut qui solvendo non esset, is nexus addiceretur creditori, luiturus corpore, id est opera, quod aere non posset; et exstat apud Gellium N. A. 20, 1 lex duodecim tabularum, quae iubebat dissecari corpus eius qui multis creditoribus deberet neque esset solvendae rei.

628. v. supellectile, durioribus numeris minusque eleganter.

630. Sexcentas. Donatus: Perspicere hinc licet consuetudinem utriusque sermonis: nam Apollodorus μυρίας dixit pro multis. Et ut apud Graecos μύρια, ita apud nos sexcenta dicere pro multis usitatum est. Cic. Verr. 1, 47: Sexcenta possum decreta proferre.

635. Eicitur praebet H, quo recepto acuitur gravissima sententiae vox Mea.

643. Librarius, non assecutus veterem autographi sui scripturam, dedit In i. e. inde.

650. v.

— Hem, si quid velis,
Huic mandes, quod quidem recte curatum velis.

ταυτολογικῶς, ut recte observat Be., siquidem Si quid velis id ipsum est quod Si quid recte curatum velis. Atqui in plerisque codd., nostris quoque A et C, verbis Huic mandes duplex colon adiunctum est, primum: qui te ad scopulum e tranquillo auferat, alterum: quod quidem recte curatum velis. Alterutrum horum malae fidei esse, in confesso est. prius igitur, quod elegantissimum est, tollunt Faërnus eiusque asseclae; posterius, quod plane abest Bemb. Victor. Basilic. nostris B et H, resecandum esse, pulcre vidit Be., traductum quippe id ex Adelph. 346.

663. v. tandem, minus quidem apte.

664. vocandi. amicos. sacrificandi. diis nuptialibus, inprimis Iovi et Iunoni, prytanibus nuptiarum, ut ait Suidas.

666. v. aut quid dicet? languide. abest aut H.

668. monstra. portenta, mala omina. vid. Lindenbrog. ad h. l.

671. v. ante br. aliquid novi Negoti incipere. codd. meliores, in his Berolinenses, vel autem praebent pro aliquid, vel certe illud addunt. Be.: Negoti nihil incipere, c. est sontica. quae docte adstruit; sed tam violenta medicina vix opus. negoti interpretamentum est.

Ante brumam. Quod ante brumam dies decrescere incipiant. Donat.

677. v. Cui dem, et quamobrem, non exaudito dem minusque eleganter.

685. v. quid tua, malum, id ref.? sed cur convitio utatur in re tranquilla senex? Accedit metri ratio: nam in his formis Quid mea? quid tua? quid nostra? posteriores prononimum syllabae producuntur: vid. Heaut. 741, infra 902.

687. v. Volo ipsius quoque voluntate, quem versum qui dimetietur, nae is mihi Archyta maior erit mensor.

695. v., intruso interpretamento:

Quod ut facerem, egestas me impulit, cum scirem, infirmas nuptias
Hasce esse, ut id consulerem, interea vita ut in tuto foret.

701. Hem pro vulgato et dedit H.

709. v. nunquam, minus commode. Hem omnes nostri codd. et vett. edd.

712. Hac exstat in H, quod perbene convenit.

716. v. hau vel au obsecro, unam ille quidem hanc solam, ὑπερμέτρως.

719. Quam saepe forte temere Eveniunt, quae non audeas optare. Plautus Mostell. 1, 3, 40: — Insperata accidunt magis saepe, quam quae speres. Menander:

Ταὐτόματον ἡμῶν καλλίω βουλεύεται.

Lindenbrog.

723. v. fecit. cf. Hec. 66.

727. v. Nemo ex me scibit, excrescentibus numeris. Be.: audiemus, deleto me. sed cur audiemus? num et ipse nescit, quae narraturus est? Imo scibit glossatoris est, intelligendumque ex antecedentibus resciscet.

730. Ita fugias, ne praeter casam. hoc est, inquit Donatus, ne praetermittas casam tuam, quae sit tibi tutissimum receptaculum. — Queritur senex, se dum avari infamiam fugeret, in stulti reprehensionem incidisse. Quidam enim (Erasmum audis adagg. 1, 5, 3) calore fugiendi etiam ea praetercurrunt, ubi commode poterant quiescere. Quod unica voce Graeci παραφέρεσθαι vocant, id est perperam praeterire ac praetervehi, ab eo quod amplectendum erat aberrantem. Opinor, ad hoc adagium respexisse Lucianum in Nigrino, quum scribit: Καὶ τοῦτο δὲ ἐν ταῖς τραγῳδίαις καὶ κωμῳδίαις λεγόμενον, ἤδη καὶ παρὰ θύραν βιαζόμενοι, i. e. Et hoc quod in

tragoediis et comoediis dicitur: Iam et praeter casam incitati.

739. praenuntia. Phanio. cf. 744, 822. hanc. Nausistratam, vicinam.

741, 2. quid nunc porro, quid, fiet? vide de huiusmodi repetitionibus ad Eun. 260. Ceterum v. vorsuram, sed nonnulli libri vorsura, recte: nam, inquit Be., uti Salmasii et Gronovii industria effectum est, versura solvit, qui, ut vetus debitum expungatur, novum contrahit. Donatus quoque, si recte divinamus: Vorsura solvere seu vorsuram facere dicitur, qui aes alienum ex aere alieno solvit. Figurate hoc dici h. l., quisque sentit.

745. Phormionem, ne illa putet, istum revera se ducturum esse; huius (nam s. repono pro vulgato eius), Nausistratae.

751. v. T.: nam ex iis praediis — sed quae praedia dicat mulier, id probe scimus; utrum patrem an virum dicat, id nescimus: quare iste vel ille reponendum erat.

753. v. tamen talenta bina; sed plerique codd., etiam A B H: duo talenta, quod recepit, deleto multo, Aristarchus Anglus. mihi quidem satius videbatur, expungi verbum talenta, sponte id intelligendum, et ὑφὲν accipi verba duo bina, ita tamen ut τῷ bina indicetur, non diversis temporibus, sed simul, perceptum fuisse id argenti; quasi dixeris par talentorum. quod cum non advertissent librariorum alii delerunt bina, alii duo.

754. natum. s. Bemb. Bentleii vetustissimus et B, non ut v. natam, sententia abhorrente.

762. v. praeter haec, minus usitate.

765. cave. s. etiam nostri omnes. v. vide.

768. v. quid hoc siet, ex int.: nam codd. Lindenbrog. et nostri: quid hoc est. vid. ad Eun. 478.

772. v. me credere, quasi haec quoque ex persona Chremetis dicta essent; sed B: vin me hoc cr.

781. intro. ad Demiphonem. heus v. Chremi tribuitur.

789. habendi. s. Heaut. prol. 29 Novarum spectandi, Hec. 317 de virgine Huius videndi, Ovid. Her. 20, 74: Copia placandi sit modo parva tui. Be. ad 842. v. habendae ex int.

790. v. Vt rogem, quod t. c. p. me c. iubeat, versu hypermetro. Suadeat antiquiorum Faërni librorum lectio est. Vt rogem ab interprete. A: persuadeat.

792. v. propria ea, ingratissima synaloephe et frustra. Abest ea Faërni quibusdam libris, nostrisque B H.

795. Sed. vid. ad Heaut. 374.

798. v. ut ageres; sed H. ut geres, i. e. ut gereres, quod elegantius variandaeque orationi.

802. v. ex int. egrediatur. vid. ad Eun. 478. sequor H. v. quoque Geta est, vix audito nomine.

803. Fors Fortuna duas aedes vicinas Romae propter Tiberim habebat, alteram a Servio Tullio exstructam, alteram a Carvilio consule. vid. Liv. 10, 46. Donatus: Aliud Fortuna est, aliud Fors Fortuna. nam Fors Fortuna est, cuius diem festum colunt, qui arte aliqua vivunt. huius aedes trans Tiberim est. Servilis igitur et plebeia haec dea, secundum Donatum. atqui sic fere etiam Ovidius Fast. 6, 773 sqq.:

Quam cito venerunt Fortunae Fortis honores!
Post septem luces Iunius actus erit.
Ite deam laeti Fortem celebrate, Quirites:
In Tiberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celéri decurrite cymba,
Nec pudeat potos inde redire domum.
Plebs colit hanc, quia, qui posuit, de plebe fuisse
Fertur et ex humili sceptra tulisse loco.
Convenit et servis, serva quia Tullius ortus
Constituit dubiae templa propinqua deae.

804. v. Antiphoni ope vestra hunc exonerastis diem. Sane si onerarunt, sua, non aliena, opera oneraverint deae. Hoc balbutire foret, non loqui.

806. v. humerum hunc onero, sententia refragante: nam exonerato, i. e. abiecto, pallio currere expeditius cupit servus. Gu. 1 et H dilucide exonero, ut dudum legit etiam Glareanus.

807. v. ut haec quae cont.

809. v. inconcinne: hinc ire pergam.

810. Haec Getae attribui satis inepte solent.

812. Gu. 1 restiteris.

816. v. abest tu; sed in eodem affectu et nemine interpellante mutari metrum, haud placet.

818. delibutum gaudio. repletum et madentem laetitia. Eugraph. Scurrile verbum; quomodo dein serio dixit Plinius luxu delibutus. Latius cognati imbuere usus patet.

822. v.: profecti: interea mittit herus me ad ux. t. sed simul haec fieri non poterant, ut domum rediret servus, intereaque ad uxorem Antiphonis mitteretur;

alterum post alterum fieri poterat, et sic sane res se habuit: vide 739—746.

823. v.: omitto proloqui, ambigue: nam si ipse Geta omittat proloqui, i. e. loqui, ut Hec. 589 et p., quis, quaeso, loquetur? Atqui sic quidem accipi ista possunt. Omittere proloqui, i. e. tacere, Antiphonem recte iubet servus: quia, quicquid locuturus sit, nihil ad hanc rem esse queat, tam insperatam. Similiter Chaerea Eun. 519:

— — me summonuit Parmeno
Ibi servos, quod ego arripui?
ANTIPHO.
Quid id est?
CHAEREA.
Tacitus citius audies.

831. v. captans, quasi et haec quoque a Geta dicerentur; quod frigidiusculum.

844. v. Quin ergo rape me: quid cessas? pravo accentu verbi ergo. Et ne in tanta quidem rerum conversione metrum mutari iambicosque usurpari, natos rebus gerendis, ut ait ille? Nempe sic haud dubie factum; et ita rectius quoque transitur ad iambicos senarios.

Ceterum hic v. scenam finiunt, nulla idonea de causa invitisque scriptis.

849. Male plenius distinguitur post siet: omnia haec uno tenore efferenda.

850. v.: Nam idem hoc argentum, ita ut datum est, ingratiis His datum erit. in quo nec pes nec caput apparet. Atque Bembini quidem Ei pro His recipiendum esse, plerique omnes intellexere, ceterum manum poëtae nemo, ut mihi videtur, assecutus est, sententiam Clar. Zeune s. recte παραφράζει: Illa occasione mihi oblata efficiam, ut senes aeque inviti et coacti Phaedriae nunc argentum concedant, ac coacti sunt antea mihi dare. Item vel itidem et idem saepissime inter se commutantur. mi cum periisset, ut facile quidem potuit, additum est ita ad versum sustentandum.

851. hoc. τὸ adimere Phaedriae curam argentariam. Ego habetur in Gu. 1, quod vividiorem reddit versum.

863. v.: an veremini, Ne non id facerem, quod recepissem semel? turbata consecutione temporum.

867. Estne, ita uti dixi, liberalis? V. haec Chremeti tribuuntur, in Bembino vero Demiphoni, ut vel hic vel Chremes respondeat: Oppido. Sed quid senum

intererat, haec nunc demum inter se agitare? Quin hisce astute Demiphonem compellat Phormio, magis ut sibi expetere videatur liberalem quam inhonestam. Dixerat autem supra Phanium liberam et civem, quam propter egestatem tantum contemnat illiberaliterque aspernetur Demipho.

871. v.: id vos velle animadverteram vel animum adverteram, τῷ velle obscurato. H recte: advorteram.

898. In ius ambula. Ad iudicem eamus scilicet: nam Ius pro loco est. Cicero Mur. 12: Quandoquidem te in iure conspicio. Donat. Legitur autem v. Immo vero uxorem cedo, ex int. Ehem, v. desideratum, exstat in B.

911. v.: vestra puerili sententia, nullis numeris. Eiusmodi nonnulla Plauto condonamus, Terentio non item.

922. v.: quod ipsa, frustra exasperato versu.

925. v. Vlcisci, m. l. Be. atattat, minus quidem usitate. S. saepius erratum, velut et supra 561.

926. gladiatorio animo. hoc est, ita perdito ac temerario, ut non sibi caveant, dummodo vulnerent, ut Sallustius Iug. 60: Avidius alteri alteros sauciare, quam semet tegere. Donat.

930. Astute aggredimini. Εἰρωνία. Et proprie Aggredi accedere ad dimicandum est. Bene ergo servavit translationem a gladiatoribus coeptam. Idem.

933. v. huius, prorsus inepte, et sequente versu: Quin novo modo ei fac. ini., nullis numeris: nam novo contrahendum esse in unam syllabam, n' vo, ei in duas extendendum, eii, vix et ne vix quidem Bentleio crediderim.

937. exstillaveris. Intellige se, figura satis usitata: vid. Vechneri Hellenolexia. Donatus: Exstillare, ipsum corpus guttatim finire. Vulgo post haec versum Plautinum Mostell. 3, 1, 126 inculcant hunc:

Malum quod isti di deaeque omnes duint!

quem cur huc traduxerit Terentius, nemo interpretum neque putavit neque exputavit. nam si quando hic antiquiorum dicta poëtarum suae gentis usurpat, velut Eun. 375 Livii Andronici, supra 305 Ennii, singulari quadam eorum venustate atque convenientia pellectus id facit; hic nihil tale, et praepostere venit mala imprecatio, cum simile quid altero abhinc versu, et exquisitius quidem, sit positum. At unde, inquis, assuta ista lacinia? Arbitror equidem, verbo scelus 939 nescio quis, recordatus fortasse versus Eun. 275, cum forte

adscripsisset malum, interpretamentum hoc, motum suó loco, ut fit, paulatim, habitum esse pro initio cuiusdam versiculi, quam occasionem aliquid de suo inferciendi cupide arripuerint librarii, praesertim si quis recens esset a lectione Plauti, sicut fere supra 332 verbis i vel abi addidere in malam crucem, Hec. 136 atque hominum, et, quod magis huc facit, Heaut. 800: quanta de spe decidi. vid. etiam ad Hec. prol. alter. 40. Vtcunque hoc sit, certe non ferendus tam inconsulto adhibitus alienus versus.

941. ex illo. ex illo tempore: cf. Virgil. Aen. 2, 169. Be.

942. v. eamus legitur et huc semel, verbis in ius aliter pronuntiatis priore loco, aliter posteriore. huc, domum Chremis.

955. Abi. Hoc ad Chremetem, cuius verba nihili facit.

958. v. satis inepte: Pergin' credere? Pergin? Phormioni dicitur, Crederes? mulieri.

968. v. S. iam unam. sed nullam vim τὸ iam habet. antecedens syllaba depasta est τὸ et —, HANC facile cum VNAM permutatum.

969. v.: P. d. i., facinus indignum et malum. sed codd. Vatican. Basil. B H: fac. miserandum, quod minime malum, dummodo secundum id reponas fac. miserum, et metrici accentus causa miserum fac., praesertim cum sequatur factum indignius.

970. Hoc actum est. formula desperantis, quae nec Phormioni convenit, cuius v. fertur, nec Demiphoni satis animoso: vide 919 sqq., quamvis ita iubeant omnes Bentleii et noster A; sed Chremetem haec decent. cf. Eun. 9, Heaut. 512.

971. Quine. v. minus apte Qui mihi. cf. 885, Andr. 208.

974. v.: — Lemni? haecine erat ea, quae nostros f. m. v., scabro versu. glossema Lemni.

976. Verba fiunt mortuo: νεκρῷ λέγεις εἰς οὖς. proverbium Comicis usurpatum in conatibus inutilibus, natum id, inquit Erasmus, a ridicula consuetudine veterum, vita defunctos ter voce cientium.

977. v. neque negligentia tua neque odio id f. t., ex int., male autem collocato verbo odio.

986. Codex C: Quid nunc id fers, A: Quid nunc mi affers, i. e. Quid igitur mihi affers, quod praestat lectioni Bembini et Victoriani, Quid mi hic affers. Id, quod v. abest, assumendum putavi ex C.

987. Sic parasitus ad ritum funerum indictivorum, in quibus haec formula solemnis erat: L. Titius vixit. L. Titio exsequias ire, cui commodum est, hem tempus est. Ollus ecfertor. Cf. Sil. Ital. 15, 394. Lindenbrog.

999. v. ab illo. sed a Demiphone quoque partem is abstulerat.

1011. At ego ecastor posthac tibi quod potero et quae voles Faciamque et dicam. Graecorum hoc imitatione. Aristophanes Lysistr. 1043:

> Οὐ παρασκευαζόμεσθα τῶν πολιτῶν οὐδέν', ὦ 'ν-
> δρες, φλαῦρον εἰπεῖν οὐδὲ ἕν,
> Ἀλλὰ πολὺ τοὔμπαλιν πάντ' ἀγαθὰ καὶ λέγειν
> Δρᾶν θ'· ἱκανὰ γὰρ τὰ κακὰ καὶ τὰ παρακείμενα.
> Ἀλλ' etc.

s. enim hic locus legendus et constituendus est, nec magis hic ferendum και δρᾶν quam in antistropha καὶ τοῦτο, siquidem prospectum velis metro paeonico. Gemini gemelli hisce versibus sunt fabulae eius 793 et 816:

> Κουκέτι κατῆλθε πάλιν οἴκαδ' ὑπὸ μίσους.
> Πολλὰ καταρασάμενος ἀνδράσι πονηροῖς.

Antistropham istam, quoniam de ea dicendum fuit, si quis persanatam habere cupiat, ei auctor sum ut reponat:

> Κἄστιν ἔτ' ἔτνος τι, καὶ δελφάκιον ἦν τι μοι,
> Τοῦτο τέθυχ', ὥστε τὰ κρέ' ἔσθ' ἁπαλὰ καὶ καλ'.
> Ἥκετ' οὖν etc.

nam in fine quidem reponendum esse metri causa δὲ θύρα pro δ' ἡ θύρα, id animadvertere cuiusvis erat.

ANNOTATIONES IN HECYRAM.

PROLOGVS PRIOR.

Versu 1. fabulae. Cessat synaloephe, ut saepius quidem apud Plautum: vide vel unius Asinariae 4, 2. quam figuram et alii poëtae, praesertim in commatibus, usurpant. Bentleio tamen placebat fabulai; sed cf. quae monuimus ad Andr. 409.

2. v. Nova, inconcinne. Be. nova, ei novum.

4. v. stupidus, quod si dicere ausus esset prologus, nae ille pastoricia fistula exceptus fuisset, imo

ab universis capite protrusus, ut iste Princeps apud Phaedrum.

6. v.: Et is q. s. hanc ob eam rem noluit etc. sed coniunctio quidem prorsus aliena, nec non ingrate hanc refertur, cum modo in eadem re habuerimus haec; quibus accedit, quod eam, multo gravius hic verbum, in thesi latet. Quare statuo, dedisse Nostrum causam, quod postea depravatum fuit, ut c et e s et r literae facillime inter se permutantur. Dicit autem prologus, etsi haec fabula plane nova sit, tamen non hanc ob causam referri, ut iterum vendatur.

8. Post hunc versum distinctio nulla est in MSS.; sed duos esse hos prologos, ipsa res docet, et dudum id alii viderunt.

PROLOGVS ALTER.

Egit hunc prologum, uti et Heautontimorumeni, ipse L. Ambivius, dominus totius gregis nobilissimus et iam senior, cum fere hanc personam, utpote ignobiliorem, ferrent adolescentes, et qui ne actores quidem essent. vid. ad prolog. Heaut. 3. Id cur factum sit, et ipse poëta docet, et diserte exponit in sequentibus etiam Donatus.

Versu 1. Donatus, hic illic leviter corruptus in vulgatis: Magna arte hic prologus scriptus est, nimis oratorie. Nam totiens expulsa fabula quomodo honeste revocari potuit in proscenium, nisi primo ipsa impudentia pro fiducia proferretur, deinde actor peritissimus, ipse Ambivius, probaret et poëtam et comoediam, cuius auctoritas elucet ex verbis, tum deinde subtiliter novo poëtae a vetusto et magnae auctoritatis, Caecilio, peteretur exemplum, et peteretur ingeniosissime? Nam quod rudi Terentio contigit, accidisse memoratur veteri Caecilio; quod huic in aliis nunquam, hoc illi fere in omnibus: quod huic praeter Hecyram et actae et probatae sunt ceterae, illi partim exactae, partim vix probatae. Itaque his omnibus argumentis id actum est, ut neque desperandum sit de Terentio, quod exclusus est, et nihilominus illi tantum tribuendum, ut aut par Caecilio, magno tunc poëtae, aut ultro melior etiam esse possit.

Vid. etiam ad 3.

2. Sinite exorator sim. Orator est, dum orat; exorator, quum impetravit. Ita illud dicentis, hoc iam

effecti significationem habet. Et orator est, cui causa defendenda mandatur. Donat.

3. Quo iure sum usus adolescentior. Tanquam aliud agens affert exempla, quibus ostendat, turpe non esse Terentio, exclusam esse unam illius fabulam, cum multorum poëtarum multae exactae sint, et in his Caecilii, cuius illo tempore magna auctoritas fuit. Idem.

4. novas. vide ad Andr. prol. 3.

5. v. Ne cum, quasi quae semel populo acceptae fuissent fabulae, ne post fata quidem poëtarum negligi potuissent. Quin aliud hoc est, aliud illud: quare scribendum nec.

9. sustuli. recepi in me, tanquam onus.

11. v.: Novas, studiose, ne illam ab st. a., insuavissimo asyndeto, praetereaque vel ambigue vel putide: nam nemo vel facile τὸ studiose referat ad Easdem agere coepi, quod nec fecisse videtur Donatus, vel hoc modo loquatur: easdem agere coepi, ut alias studiose discerem. Quin istas egit, ut aliae committerentur ipsi a poëta. cf. 44, 45.

14. v.:

— — iniuria adversariûm
Ab studio atque ab labore atque arte musica.

Mirum ni alibi addiderint etiam: a scribendo, a fabulis faciendis. Merum glossema est versus Ab studio etc., sublectus is quidem partim in antecedentibus, partim in sequentibus.

26. v. Comitum conventus, obscure. Plautus: salve mi homo, et mea mulier, et s. p. scriptores. Nempe verbi Hominum prima syllaba cum forte vel tota vel ex parte periisset aut etiam omissa esset a librariis, sicut fieri solebat in literis versuum initialibus, minio postmodum appingendis, gliscere coepit corruptio, capite truncata voce Ominum vel Cominum degenerante paulatim in Omitum, Comitum.

40. Post haec v. inculcant prologi in Heautontimorumenon versus 48 -- 50, ut similia similibus addere solet librariorum natio. vid. ad Phorm. 937. Apte illa posita in Heautontimorumeno, hic minus: siquidem verba Facite ut vostra auctoritas Meae auctoritati fautrix adiutrixque sit, sponte aut obscuriora aut certe ambitiosius dicta, explicantur vindicanturque ac liberantur per illa Sinite impetrare me, qui in tutelam meam Studium suum et se in vostram commisit fidem, Ne eum circumventum inique iniqui inrideant, ut iam appareat, significare actorem senem, auctoritate se sua tutari

tutari Terentium suscepisse, idemque facturum sperasse populum, ne poëta circumveniatur. Quamobrem haec cum illis arcte coniungenda sunt nec committendum, ut inutili glossemate obscuretur praveque accipiatur perspicua ac modesta viri honestissimi oratio. Donatus prope verum: Meae auctoritati: Qua Terentium probo; et est figura ἀναλογία. Vult autem, se esse eius auctoritatis, ut et populo placere iam debeat, qui ipsi placet.

49. Donatus, v. depravatior: Ab utili argumentatio est. Et bene Vt expediat: tanquam facturus sit, etsi non expedierit, dum quaestum maximum servire populo putat. Pretio emtas meo. Aestimatione a me facta, quantum Aediles darent, et proinde me periclitante, si, abiecta fabula, a me pretium, quod poëtae numeraverint, repetant. Ergo Meo, a me facto, a me statuto, non ut alibi dixit (Eun. prol. 20): postquam Aediles emerunt. Et bene, ut sequatur populus iudicium eius, qui aestimare vere fabulas potuerit. Pretio emtas meo. Vt quidam volunt, periculo.

Postremam hanc annotationem a nescio quo adscriptam puto, quem Donati ratio non expleret, quae tamen insoliti nihil habet estque adeo verissima. Invenerit iste alicubi forte exaratum, non sedulo:

Novas expediat post, periclo emtas meo.

Ceterum similiter consilio suo Aediles iuvit Caecilius poëta. vid. vit. Terentii.

FABVLAE versu 1. Per pol quam. i. e. Pol perquam. Donat. Ceterum v. paucos; sed testem habemus Donatum, lectum fuisse a nonnullis non paucos, sed paucis, secundum Apollodorum, qui sic, Bentleio emendatore:

Ὀλίγαις ἐραστὴς γέγον᾽ ἑταίραισιν, Σύρα,
Βέβαιος.

Paucis meretricibus, inquit Anglus sagacissimus, fideles evenisse (ita enim legit ob γέγονε pro vulgato evenire), h. e. singulis singulos, non Paucos amatores, quasi uni plures contigisse vellet.

8. mutiles, laceres. velut pecora promiscua. vid. sequens annotatio.

9. Vtine eximium neminem habeam. Donatus, paulo emendatior ac v., ni fallor, praestitus: Perseverat in ἀλληγορίᾳ: nam proprie eximii sunt porci maio-

res, qui ad sacrificandum excepti uberius pascuntur. Etenim boves, qui ad hoc electi sunt, egregii dicuntur, et oves lectae; ut Virgilius Aen. 4, 57: Mactant lectas de more bidentes. Ita et porci eximii.

10. Scito. Donatus: Bene additum est Scito et moraliter, et acutius pronuntiandum: est enim verbum illorum, qui familiares corrigunt. Cf. Eun. 386.

12. Bene Expleat, quod contrarium meretrici est, amatorem voluptate satiari. Donat.

13. Insidiari malum est; sed contra insidiari iustum est. Idem.

16. Qui te captant saepe, tu eos vel semel cape. Idem.

19. Magis expressit consuetudinem dicendo Senex, quam si diceret Dominus maior. Idem.

21. Audis modo sentis, intelligis, ut Virgil. Aen. 1, 23: Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci Audierat. Item alibi. Georg. 1, 514: neque audit currus habenas. Idem. Cf. Andr. 271, ubi Pamphilo itidem quaerenti Audin'? Mysis respondet ἐκ παραλλήλου Teneo, i. e. intelligo, et eiusdem fabulae 835. Εἰρωνικῶς ibidem Chremes 522 Audio, i. e. Scio, quid id significet. Contra gravissime Clinia Heaut. 192: Ego vero audio nunc demum (i. e. nunc demum mei sum compos, nunc demum conscius mihi sum rerum omnium) et video et valeo, Clitipho, ubi apparet simili potestate usurpatum esse, sicut p., videndi verbum, utpote sensus auditu non levioris sed paris eiusque maximi momenti.

23. i. e. ut posthac praetextu hoc domo abeundi melius possim uti, ubi ante usus eo nondum fuerim.

26. Salve mecastor, Parmeno. Olim salutantes addebant iusiurandum, ut hoc sedulo facere viderentur. Me aut adiectio est et abundat, aut positum est pro μὰ syllaba, ut Graeci μὰ τὸν Ἀπόλλωνα dicunt. Donat. (Invenerat Donatus disunctim: me castor, et s. fere etiam nunc scripti; H. micastor.)

Et tu edepol, Syra. Irrisit ad mecastor addendo edepol. Et quod illa Parmeno, ille hic addidit Syra. (vid. Eun. 403.) Sura veteres legerunt, V pro Y ponentes, ut Musia, Suria. Idem.

27. v.: ubi te oblectasti-tam diu, m. l. Muretus itaque: Philoti; sed Noster, observante Bentleio, vocativo graeco nusquam alias utitur. Ipse igitur, transpositis verbis: Philotis, dic mi, haud melius quidem

collocata voce ubi, quae minime est deproperanda. Iam, tam, p. addidere monachi. cf. Heaut. 247.

28. v. Minime equidem, proclivi lapsu: nam vis nulla hic est τοῦ equidem, minime gravius est verbum, quod v. perperam corripitur. Frequentius hoc erratum: cf. 757.

34. Mirum valet ad significandos pravos mores istius militis, quod, quia cum eo vivendum esset, ideo mulieri ne Corinthus quidem placebat, regnum meretricum. Tantus enim, inquit Erasmus adagg. 4, 3, 68, illic honos habebatur meretricibus, ut, quemadmodum ex auctoribus docet Athenaeus, illic in templo Veneris prostarent, atque in solennibus precibus illud adderetur, ut dii augerent meretricum numerum. —

Donatus: Oratorie unam rem in tria divisit, Huc redeundi, Abeundi a milite, Vosque hic videndi, ut diceret: Huc veniendi.

38. Commode pro blande et bene, ut 51: Nunquam tam dices commode. Donat. Cf. infra 760, Andr. 814, Eun. 757.

39. Argute militem: quia quasi inimicus sit orationi, quae in pace plurimum potest. Donat.

40. quae. quod H.

42. animum inducere. quasi in rem duram et immanem. Donat.

44. sed firmae hae vereor ut sint nuptiae. Bene pro persona servi, qui vult dominum uxorium esse magis quam amatorem Bacchidis. Idem.

Legitur autem v. firmae hae vel f. haec, durissima synaloephe. abest pronomen B, alibi vagatur, ut solent interpretamenta.

50. v. Vt hoc proferam; C: Vt proferam hoc. Scires, itidem pronomen esse malae notae.

52. v. Ah noli, P. sed quid tandem nolle hominem vult? nam hoc sponte intelligi, nemo sibi postulet. Donatus: Artificiose se fingit audire nolle, ut tacitura credatur, si audierit: quia curiositas signum est loquacitatis. Sic Horatius epist. 1, 18, 69:

Percontatorem fugito: nam garrulus idem est.

Vides, grammaticum in suis libris invenisse nolo, quod paulo melius. sed verum, ni fallor, novi: vid. Eun. 229.

55. v.:

— — si mihi fidem
Das, te tacituram, etc.

parum bene collocatis verbis Fidem et Das, neque melius acuto Te, quod encliticum h. l. est et eleganter

subauditur. nam, quod mihi quis oggerat, pronomen ὀρθοτονούμενον requiri itaque recte acui Te, ut tacitura Philotis opponatur non tacenti Parmenoni, respondeo, hoc secum reputare si vel tali positione illius voculae adductus fuisset servus, sane eum consilium suum fuisse contemsurum taciturumque. Ex int. Te irrepsit.

57. Istic sum. vid. ad Heaut. 420. s. Graeci ἐνθάδε. Sophocles Philoct. 873:

Ἀλλ' ἐνθάδ' ἤδη τοῦδε τοῦ πάθους κυρῶ.

66. Donatus, v. depravatior: Mire interposuit moras, ad postremum confessurus, uxorem ductam. Primo, inquit, negavit: post deliberavit; ad postremum non duxit, inquit, ipse, sed effecit hoc senex. Ita mutatione personae totam voluntatem adolescentis absolvit.

72. Imperfecta pro plusquamperfectis usurpata. vid. ad Eun. 800.

77. perdant. s. B et vett. edd. v. inconcinne perduint. neutrum horum verborum plerique Donati codd. praebebant, quorum mentio est apud Faërnum; unde Be.:

At te di deaeque cum tuo isto odio, Laches.

Isto (nam v. istoc legitur) etiam A et C.

78. Vt ad pauca redeam. (nam s. v.) Tanquam multa sint, quae de Pamphili amore dici possint. Donat.

82. v.: Pl. pot., sese illac, vel illa. sed H: Plus potus, sed illa, quod primitus fuisse puto: P. p. et illa. Possis et: Pl. pot., et illa se abst. ut p.?

84. Magno compendio usus est, non ostendens, cur hoc falsum sit, quod putat meretrix, sed cur hoc putet. ita ex eius persona totum refellitur, quod obiicit. Donat.

95. Pium erga meretricem, Pudicum erga virginem. Idem.

98. Forte omissum est, versus quidem iniuria, hoc post ubi.

100. v. sic distinguitur: Quid interea? ibatne ad Bacchidem? Sed aut contemnentis est aut inepti, alterius orationem sic interpellare ut quaeras, quid interea factum sit. Quid? ita p. prima oratione: vid. index h. v. Interea ibatne pro Intereane ibat. vid. ad Eun. 346.

101 — 103. Hi versus v. leguntur post 109, transpositi illi quidem a librariis eo, nisi fallor, consilio, ne de Bacchide haec dicta acciperemus. Sed Haec p.

servis audit domina, omnemque dubitationem statim eximere debebant insequentia verba Atque ingenuae: siquidem meretrices fere non erant ingenuae, sed libertinae. cf. Andr. 409. Inepte autem haec poni post 109, ipsa orationis ibi indoles et ratio demonstrat. Dicit enim Parmeno, malignitate et procacitate immoderata Bacchidis maxime disiunctum ab ea fuisse herum: nam postquam et ipse se et Bacchidem et uxorem satis cognoverit, ambarum feminarum inter se mores comparans, hic, i. e. tum, eius animum, partim perculsum uxoris misericordia, partim fessum Bacchidis iniuriis, paulatim amore se evolvisse meretricio. Vbi vides, illatae personae iuvenis male obturbare personam Philumenae, filumque orationis interrumpi. nisi quis audiendos istos censeat, qui verba postquam — existumans ita pertinere putant ad praecedentia Atqui ea res multo maxume Disiunxit illum ab illa, ut Pamphilus propterea disiunctus esse dicatur a Bacchide, quod et se et illius Pamphilaeque ingenia perspexerit. quod ne latinitatis quidem fieri permittit elegantia: nam quis sic loquatur: Ea res me disiunxit ab eo, postquam vidi — pro ea res me disiunxit ab eo, quod vel quia vidi —? Et fac, negligentius locutum esse Afrum alias curiosissimum, quomodo iam dictis meretricis Non edepol mirum Parmenonis convenit responsio: Atqui i. e. Imo ea res etc. qua significatur, eam ipsam rem, quae minime mira videatur Philotidi, maximi momenti fuisse ad amorem Bacchidis dissolvendum? nam ubi istos sequaris, aliud dicit Philotis, aliud Parmeno. Non magis autem nonnullos moror, qui apte haec eo loco, quo vulgo, legi autumant παρενθέτως, quia de cognita Pamphila dici coeptum sit: siquidem non de illa sola, sed de ambarum mulierum moribus, ibi agitur, ut inepti sit, non callidi, quod vult Donatus vel quisquis ille fuit, certe ineloquentis, iam alteram earum fusius describere, alteram prorsus negligere silentioque praeterire, scilicet, ne vitia meretricis apud meretricem repeti sit opus. Contra hoc loco, ubi de Pamphili animo erga uxorem dictum est, iuvenemque rursus ad Bacchidem ire solitum fuisse quotidie, ibi vero aptissime commemorantur feminae honestae pudor ac modestia, tot quippe et tantas tamque veras et quotidie iteratas viri iniurias patientius ferentis quam meretrix unum illud incommodum tulit, non tam a Pamphilo ortum quam ab eius patre, quod uxorem tandem duxerat amator.

Quo respiciens, eaque quasi in pauca conferens, apte itidem servus pergit: Postquam et ipse se etc.

104. v. abest illa, quod requirit personarum oppositio. sic 108: Et illam et hanc.

105. v. Maligna multo et magis procax facta illico est, quasi ordo sit: Multo magis maligna et procax f. i. est, quod cum mirum Bentleio videretur, is reposuit: Maligna magis et magis procax f. i. est. sed ut fatendum est, constructionem istam verborum ferri vix posse, quanquam et alibi audacius verba transponit Terentius, ita tamen, Bentleianam emendationem minus etiam placere, quia non in verbis tantum sed in ipsa sententia peccat, haud equidem inficior. nam si multo magis maligna tunc facta est Bacchis, et antea quoque malignam eam fuisse necesse est, de quo ne γρῦ quidem in praecedentibus. Maligna, inquit Donatus, difficilis. Malignus est, qui difficultatem sui ostendit. Recte. Atqui non erat quod difficilem se praeberet Bacchis amatori, quo, ut ipsa fatetur 780, dum licitum fuit, usa esset benigno et lepido et comi. Ipsa igitur vi sententiae repono: maligna multum. Maligna repente facta esse dicitur meretrix, cum ante fuisset commodissima, procax autem magis facta est, i. e. petax, dispoliatrix, ut itidem recte Donatus, siquidem talis et ante quoque fuit, sicut omnes meretrices.

109. v.:

Ad exemplum ambarum moras earum existimans, dure correpta prima syllaba verbi exemplum: nam sententiae quidem hoc bene convenit, secus ac videbatur critico Britanno, qui reponebat Ad amussim ambarum. Aestimare et existimare p. confunduntur. Ceterum verbo existimans sententiam v. finiunt, apodosin hanc arbitrati illorum Atqui — ab illa; de quo errore dixi ad 101 — 103.

110. misericordiam intellige mulieris erga virum, amore vexatum misero, qua misericordia tanquam beneficio devinctus ille animum mutavit. Hic, tum.

112. Adeo est tardus amor Pamphili et magnus, ut etiam post iniurias difficile discedat. Donat.

113. par. suo ipsius ingenio. Pium ac pudicum 95 Philotis Pamphilum, pudentem ac modestam 102 servus dominam, dixit. Recte Eugraphius: Postquam optimum puellae ingenium recognovit et sibi par.

114. Imbrus mediterranei maris insula prope Thraciam, nunc dicta Limbro. vid. Mela 2, 7, 66.

115. ad nos. v. ad hos, mendose. s. p. servi: noster herilis filius, noster pro domesticus, nos pro herilis familia. cf. 273.

118. Abdidit se. vid. ad Ad. 437. Commeat. Donatus, si recte coniicio: Commeare est absentis inde, ubi te esse oporteat, etc. Quanquam hoc nimium. Infra 167 senex de se ipse lenissime: Rus habitatum abii.

121. v. abest haec, quod salvo sensu fieri non potest. codd. A H sequente versu alter: Miris modis Philomena, alter: M. Philomena modis, Cledonius Putsch. 1915: Miris modis odisse aiunt adolescentem. Sic τὸ haec, ni fallor, sunt interpretati. Quod et 128 similiter addendum fuit, sicut Hic saepius additum est a Bentleio.

123. interea. i. e. tamen. v. inter eas, quod modo legimus.

126. ubi non quit pati. socrum.

128. v. ubi illic, m. l. Haec item v. abest. hoc est hera maior, Sostrata. s. p. Hic et Haec usurpantur in domesticis et vicinis.

129. Ideo Nescio quam, quia nullius momenti ac falsam. Donat.

132. Visere officii est; videre quaerentis aliquem. Idem.

133. Scimus, quae ad nos deferuntur; rescimus celata. Idem.

141. v. Proh deum atque hominum fidem, quod hoc genus est, quae haec est coniuratio? versu vix expediendo. Codices B et H et quae haec e. c.? i. e. ecquae h. e. c.? nam sic pro ecquis, ecquae, ecquid casce scribi solet in libris et quis, et quae, et quid. Sed ea medicina adhibita, ut sane adhibenda est, non persanatur versus, nisi iam perspicuum est, quo praeterea is vitio laboret; quod cognovisse dimidia fere est curatio. Nempe verba atque hominum a mala manu addita sunt, sicut Andr. 209; quibus deletis, quod versum reprehendas, nihil est. Apparet quoque nunc, haec coniungenda esse cum sequentibus, neque arcessendum Bembini et Victoriani Vtin' (vel Vtne, quod praebet Gu. 1) omnes pro Vt omnes.

143. Menander:

Γυνὴ γυναικὸς πώποτ' οὐδὲν διαφέρει.

144. Similis pertinacia est. Αὔξησις: nam Studium et bonum est; Pertinacia vero nunquam non mala. Donat.

145. Hic versus duplici adhuc vitio male habebatur, transpositione et corruptione: nam et inseri solet ante praecedentem, et sic in vulgatis legitur:

Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus.

Toto pede deficit versus; quod aegre ferens Be., cum praeterea haec ambiguitate laborare filumque orationis interrumpere ipsi viderentur, totum versiculum expunxit. Verum enimvero ambiguitas illa, si quae est, levis est, turbatae orationi transpositione versus medearis, ipsumque versum emendare praestat quam delere. Arbitror autem, Itidem degenerasse, sicut p. factum, in Item, deinde in Ita, verbumque unanimo mutatum forte in uno animo omittendae vocis animo ansam praebuisse. Iamque minime culpandus est poëta, cum dicit, duplici nomine reprehendendas esse omnes mulieres, quod viris adversentur, et quod nurus oderint.

146. v. In eodemque omnes mihi vid. ludo d. ad m., male posito verbo omnes. Codex H: eodem.

153. v.: me et te et fam., elisis pronominibus. Frequentius hoc vitium librariorum apud Nostrum. Familiam, genus, maiores, ut recte Be.

155. Similiter, observante Donato, Cicero Fam. 4, 5: En cui tuos liberos committas, quum de uno ageret, et: Habemus enim liberos de puella.

156. Exorere. Emergis, reperiris. Verbum hoc impudentiam notat. Cicero pro Deiot. 1: Exortus est servus, qui, quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus. Donat.

157. mulier. convicium solemne in sequiorem sexum, ut monet Lindenbrog. Plaut. Cas. 2, 2, 36: I foras: mulier es. Lapidem. Apollodorus apud Donatum corruptissime: Σὺ μὲ παντάπασιν · ΕΗϹΑΥ λίθον. Coniicio dedisse Graecum:

— Σύ με παντάπασιν εἶν' οἴει λίθον,

vel potius, verbum ΓΥΝΑΙ raptum arbitratus a sequentibus ΣΥΜΕ consimilibus, numero quidem integro:

Γύναι, σύ με παντάπασιν εἶν' οἴει λίθον,

Mulier, tu me omnino lapidem putas, plane ut Terentius.

160 v.: Multo melius hic quae fiunt quam illi ubi sum adsidue scio: Ideo quia, ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris. Qualis oratio, scire ista ideo quia, prout familia domi se gesserit, ita ipse auditurus sit foris! Perscrutari, advertere, vel simile quiddam, conveniebat loco, non scire, quod sensit

etiam Eugraphius. Quanquam ne sic quidem sententia satis placeret, ideo tantum ista senem curare, ne ipse malis rumoribus differatur, quasi haec sola deberet esse cura patrisfamilias, non ipsius potius familiae commodum et salus. Verissimum est: Adeoque ut vos etc. i. e. Et ita ut vos etc. Noster infra 191: Sed non adeo ut mea facilitas corrumpat illorum animos. Et similiter Heaut. 834: Gaudere adeo occepit, quasi qui cupiunt nuptias. Passim A et I literae confunduntur.

168. Otiumque. Hoc amare quasi nihil agentibus. Donatus, qui et apte comparat Ad. 17.

172. Sola, quantum pertinet ad regendam domum; ceterum et filius et nurus erant; sed Sola, i. e. sine me. Donat.

176. Gaudeo — gnati causa. Quod similis filius non sit, an quod talem uxorem habeat, quam neque inimica accusare possit? Et Gnati causa dixit, quia talem uxorem habens, sua causa quid gaudeat, non habet. Donat. Nam te quidem etc. Id est, nihil detrimenti fit, si tu pecces. Nunquam, inquit, peccando peior fieri potes, sed es eadem quae semper es. Sic Cicero Verr. 1, 1: Est idem Verres qui fuit semper. Idem, v. additamento inutili hic deturpatus.

179. plus. Ἰδιωτικῶς dixit, i. e. diei maiorem partem. Idem. diei, temporis: nam sic legendum puto pro vulgatis diu ac.

181. v. Enim lassam, obscurato verbo lassam, quod tolli debet, siquidem in eo tota vis sententiae sita est. Codex A lesam.

182. ad morbum. Sic egregie idem codex: nam sic loquuntur. v. ad abest.

184. dari. v. datur, soluta sententiae continuatione. nominativus graeco more illatus, ubi accusativum expectabant, decepit monachos. S. itidem infra versui 252 opitulatus est Be. cf. 257 Andr. prol. 3 Phorm. prol. 4. Gu. 1: conditio et lex.

187. ego tamen etc. Significanter hic ego, i. e. ille ego, qui tam lenis sum.

188. lubidini. Libido est quaelibet voluntas temere suscepta. Et bene Libidini: est enim non aequum, domo mariti abesse nuptam. Etsi enim pro voluntate posuit libidinem, tamen subaccusavit hoc nomine. Donat.

190. etsi — sed —. Ἀνακόλουθον, ut recte Donatus observavit, quod emendans Be. reponebat: et ego meis.

197. Donatus v. corruptior: Refellit, qui negat; Purgat qui fatetur et se defendit.

202. mage. v. magis, et s. p. Paulum interest utro modo scribatur, ubi posterior τῶ magis syllaba corripienda est; quia tamen et Plautus subinde forma mage utitur, repudiandum eam non putavi.

203. magnificare. s. Bemb. et Gu. 1, quod, ut insolentius, mutarunt in magni facere. Nam quod semel h. l. vox ea legitur apud Terentium, causa non est cur et hinc excludatur. nec de versu erat quod metueret Be.: nam similiter hic infra 721:

Nobis, in re ipsa invenimus; porro hoc nunc experiamur,

et Andr. 659:

Siccine me atque illam opera tua nunc miseros sollicitari;

Plautus autem saepius, velut Asin. 2, 3, 7:

Meas verberari. sane ego sum amicus aedibu' nostris:

nam sic legendum cum Reizio, deleto interpretamento A te; et sequentis ibi scenae 8:

Siquidem hercle nunc summum Iovem te dicas detinuisse;

et ibidem 17:

Clamore ac stomacho non queo labori suppeditare.

Non nimis subtiliter ad Graecas regulas exigendi sunt lingua et populo rudioribus usi poëtae Latini, praesertim Comici.

204. v.: Neque adeo clam me est, quam esse eum gr. lat. cr. Scilicet non ipso clam erit, quod ipse sentit. Be. itaque: clam te est; sed qui scit Phidippus, quid hac de re Laches existimet, quem nondum convenit? Clamare s. p., velut Andr. 116, Ad. 35, 763.

210. Eho interiectio ponentis aurem propiorem: nam illa quaerit, quae solent de maritis puellae matribus queri. Donat.

215. v. Nunc quidem (intell. certum est), ut videtur. sed haec pugnantia. sequor codicem Gu. 1.

Numquid vis? Discedentis verbum. Donat.

221. v.: haud pol me quidem, in quo subaudiri vult Donatus, vel quisquis ille fuit, Scio esse aut Novi esse aut tale quid, secundum ἔλλειψιν, quae familiaris sit iis, qui secum loquuntur. Cras fortasse credam, non hodie. Pro me, pro meo ingenio, pro meis moribus.

222. v.: ex me esset, eliso me contra artem.

224. nisi. sed, Graecorum imitatione. Sophocles Trach. 40:

κεῖνος δ' ὅποι
Βέβηκεν, οὐδεὶς οἶδε. Πλὴν ἐμοὶ πικρὰς
'Ωδῖνας αὐτοῦ προσβαλὼν ἀποίχεται.

224. Nemini ego plura acerba. Nimis cothurnati et tragici in hac scena dolores essent, non comici, nisi adderet Ex amore. Donat.

227. v. Etsi non inepte metrum hic mutaretur, malo tamen nunc hos versus ita describi secundum vulgatas editiones, nisi, quod cui versui 226 apponendum erat, quod v. refertur ad sequentem:

Hacne ego causa eram tantopere cupidus redeundi domum, cui
Quanto fuerat praestabilius, ubivis gentium agere aetatem,
Quam huc redire atque, haec ita esse, miserum me resciscere?

Duo priores horum versuum sunt trochaïci octonarii pleni, ultimus eiusdem generis catalecticus. similis locus est 231—234.

229. A quoque: nobis omnibus, sicut duo Bentleii libri, et in C τῷ omnes superscriptum: pro omnibus. Vnus autem Bentleii codex Regius plane: Nam omnibus nobis. Vulgatum Nam nos omnes, quibus etc. tanquam σύλληψιν, prolatis aliis eiusmodi, ut ipsis quidem videtur, exemplis Cic. pro Murena 12 et Virgil. 10, 144, quorum alterum prorsus alienum est, alterum corruptum, quod tamen dudum alii emendarunt, frustra tutantur scholiastae. Apollodorus apud Donatum, si recte coniectamus:

Οἱ γὰρ ἀτυχοῦντες τὸν χρόνον δοκοῦσί τι
Κέρδος κακότητος.
Nam qui laborant, miseriae in lucro solent
Tempus putare.

234. iram expedies. Me imprudente hoc relictum est: nam excusam volui: iram expendes, quod et sententiae non minus aptum, et liberat hunc a crimine ταυτολογίας, scriptorem eloquentissimum. cf. 231.

240. v.: abstraxi atque impeditum in eo expedivi animum meum, metro nullo. Be. itaque: Vix me hinc abstraxi. Sed illinc, oppositum praesertim verbo huc, a sententia requiritur. Verba in eo pro interpretamento sunt habenda.

241. Verba ab hac — nisi porro 243 absunt A co-

dice, ab altero porro ad alterum aberrante oculo librarii, vitii genere non infrequenti.

242. v.: Tum matrem, inepte quidem: nam nihil hic novi profertur, sed exsequitur modo dicta Pamphilus demonstratque causam angoris sui. Tam in culpa. nihil vulgatius.

243. Porro, postea vel in posterum. Alii coniunctionem putant. Donat. Legitur autem v. mendose: in postremum pro in posterum.

245. v. pertulit. Scilicet, si pertulit, suo, non alius cuiusdam, ingenio pertulit. Florus 1, 10: Hunc tamen (Porsenam), quamvis et armis et fame urgeret, occupatoque Ianiculo ipsis urbis faucibus incubaret, sustinuit, repulit, novissime etiam tanta admiratione perculit, ut superior ultro cum pene victis amicitiae foedera feriret. cf. supra 110 sqq.

246. nullo. s. recte Be., quamvis obstrepentibus tribus eius libris, qui: nunquam ullo. Noster quoque A: nunquam illo, quod eodem redit, sed C Gu. 1 H denique: nunquam in nullo, quod et ipsum ferri potest.

249. Libri scripti et impressi: Haut (codex quidam Faërni Aut) quidem hercle parvum (Donat. parum), si vis vero veram rationem exsequi. Lolgius dedit At quidem etc.; Be.: Aut quidem hercle parvum, si vis veram verba ad rationem exigi; bene, quod exigi, ceterum argutius, ni fallor, quam verius, numeris autem prorsus intolerabilibus. Vide, an locum persanaverim.

250. Hellenismus, ut mox 254. vid. ad 184.

253. v. Pueri inter sese quas pro lev. nox. iras ger., non recte eliso verbo pueri. Gravius quoque interpungunt v. post gerunt, quo non est opus.

255. v. levi, m. l. Faërnus delebat illae, itaque versum quidem effingebat sed digitis tantum demensum illum, aureque iudice vitiosissimum. Be.: Alia via, inquit, servatur rhythmus. Levi hic monosyllabon est, ut alibi novo; quod facile feres, si pronuntiaveris eo quo veteres sono, Lewi, Nowo. Sic ille. quam rationem ubi quis prolatis scriptorum locis veram esse probaverit, ibi et ego quoque lubens sequar; interim leve pro levi dedisse Nostrum arbitror, sicut Maronem Aen. 6, 383: gaudet cognomine terra, Ovidium Met. 15, 743, Her. 16, 277: specie coeleste et coeleste sagitta.

256. concitaverit. Sic in margine codicis C Bero-

linensis. v. conciverit, metro quidem laborante. Donatus: Sic Plautus: Fortasse te amare suspicarier. nam veteres infinitivo modo adiungebant Fortasse. Recte, et similiter veteres usurpasse Scilicet et Videlicet monet I. F. Gronovius observatt. 3, 9. Quem secutus Be. effingebat: concivisse, here.

257. v. Hem, quid hoc est? male correpto hoc, gravissimo verbo. Abest copula H.

258. Trepidari — prorsum. Haec v. Pamphilo tribuuntur, sequentia agedum – sensistin'? Parmenoni omnia. Sed consentaneum est, servum, qui prior strepitum audierat, priorem quoque de eo dicere, praesertim loquaciorem, qualis hic est. Ceterum B H horsum (H orsum), sursum; C et Lindenbrog. sursum, prorsum; Gu. 1 sursum, deorsum, cuius lectionis et apud Donatum fit mentio. Bene habet vulgata.

260. P. I. c. a. Haec secum adolescens.

261. v.: M. vox visa est Ph., pessime correpto verbo visa. et si visa tantum, cur iam Nullum se esse clamat? Est modus in rebus. Nempe cum forte vosea scriptum esset pro vox ea, ut p. x et s literae inter se commutantur, cito exortum est visa inculcatumque, fere ut in Porcii versibus vita Terentii Ipsuslaetis vel Ipsu' laetis paulatim degeneravit in Ipsuslatis, Ipsussublatis, quod quidem ferri non posse, etiam Ernesto suboluit. obliti autem supra sumus nescio quo casu monere de hac emendatione. Nam quod quidam vult apud Donatum, omnia, quae sensu percipi possint, visa dici, ut Virgilius dicat Aen. 6, 257: visaeque canes ululare per umbram, grammaticorum id commentum est, melius peius omnia explicantium. Ceterum recte Donatus, respiciens Andriae 444: Non solum hic Iuno Lucina non inducitur, sed etiam silentium parturienti insuper imponitur: quia furtiva conceptio est. Et tamen eiusmodi verba sunt matris, ut duntaxat argumentum scientibus manifesta sint, Pamphilo vero et Parmenoni tanquam aegram continentis filiam videantur.

Novam scenam hic orditur H.

263. v. uxorem Phil. sed quis tales accentus ferat: úxorém? Enim, absorptum a praecedentibus literis, eleganter usurpatur, ut supra 181. Celant codd. fere omnes.

264. Donatus, partim a Westerhovio restitutus: Pavere et timere et ad corporis et ad animi perturbationem veteres referebant. Plautus in Bacch. 1, 1,

73: Nam ut in navi vecta es, credo, timida es. Ergo Pavitare aegrotare: quia scilicet horruisse ac palpitare visa est.

270. Idem: Vide artificem Terentium: alias per Pamphilum, alias per ipsum Parmenonem invenit, quemadmodum nesciatur a ceteris, virginem ante nuptias ab ipso Pamphilo vitiatam esse. Non usus facto. Non utile. Facto abundat.

271. Idem: Acute eiusmodi causam reperit, quae vel hominem curiosum contineat, quaeque non Parmenonem modo, sed mox etiam Sostratam arceat ab ingressu.

272. v.: Heri nemo voluit Sostratam intr. adm. sed C: Sostratam ipsam. glossema est nomen, siquidem Ipse, Ipsa p. audiunt domini servis, magistri discipulis. Donatus ad 371: Ipsum, a quo missus sum; vel dominum, ut Graeci dicunt αὐτόν.

274. v. maxume heri causa mei. sed τὸ heri in thesi latet nec versui minus inutile est quam sententiae damnosum: non enim de statu rerum, qui nunc est, loquitur homo, sed de eo, qui futurus sit, si introierit ipse ad Phidippum: scilicet, si morbus Philumenae magis tunc aggravescat, quod sane nolit, maxume sui ipsius causa, Sostratam criminatum iri tanquam veneficam, se ipsum vero magnum malum subiturum, tormenta quaestionis, ut recte Donatus ad verba Ego vero in magnum malum 278. Sed quid tandem ad hunc ipsum locum bonus grammaticus? Haec videlicet ait in vulgatis: Bene maxume, qui et PROPTER IPSAM, vel propter invidiam socrus non velit fieri graviorem morbum. Quid? propter IPSAM? Num dominam? Num Terentius reliquit maxume herae causa meae? Cave credas: siquidem h. l., ubi de utraque domina, maiore et minore, agitur, ambiguum fuisset sic loqui, quod vitium huic scriptori minime velim imputari. Quid igitur? Nempe auctoribus ipsa sententia et versu reponendum apud Donatum: Bene Maxume, qui et PROPTER SE IPSVM et propter invidiam etc. Causam affert grammaticus, cur maxume sui causa hoc nolle dicatur Parmeno: quia non sui solius causa timet, sed etiam Sostratae; maxime vero sui causa, ut qui et sibi ipse proximus est, et solus secum loquitur, quod sentit. Literae R et S quam facile inter se commutentur seque invicem perdant, monuimus ad Heaut. 274.

275. v. dicent — comminiscentur — veniet, quasi

haec certo eventura sint, ipseque igitur introire decreverit, non abscedere, quod facturum se ostendit. Dicant, φαῖεν ἂν, est futurum sub conditione, quale hic requiritur. Codex A: dicerent, quod dicant fuisse censeo.

277. capiti atque aetati illorum. hoc est ipsis, graeca loquendi forma. vide nos ad Sophoclis Oedip. Col. 770.

280. adgravescat. Proprie: quia morbi graves sunt dicti. Virgilius Ge. 3, 95: Vbi aut morbo gravis aut iam segnior annis Deficit. Sallustius (in fragmentis incertis): Morbi graves ob inediam insolita vescentibus. Donat.

281. Aesculapi, et te, Salus. Salus, Hygiea, Aesculapii filia, quae et in veterum artificum monumentis comitari patrem solet. vid. eruditissimi et elegantissimi Hirtii Bilderbuch fascicul. 1. extrem.

282. Hem ictum non eliditur.

283. Ehem interiectio est eius, quae commota sit nova re. Donat.

285. v. non visas (quod pene soloecum), ne mittas etc. Lenius, ut servum decet, futuro imperatur.

286. Gu. 1: dico, quod haud deterius. cf. 498.

288. Nostri quoque omnes: Tum filius tuus. v. ἀμέτρως Tum autem filius etc. ex int. De Tum vid. index h. v.

290. v.: et cura; sed gravius per asyndetum haec efferuntur.

292. Philumenam etiam nostri codd. v. Philumenae.

295. v.: tristis est. Abest copula H libro, recte quidem, quae et Bentleium male habuit.

299. Donatus: Dic verbum est instantis audire et curiosius interrogantis. Virgilius eclog. 3, 1: Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? Sic ille. cf. 809. Chaerea, nimis abire cupiens, seni loquaciori: Dic, Eun. 287.

303. v.: qua redeant? P. Cessas? sed Bemb. qua veniant? unde intelligas, utrumque verbum a glossatore esse, potestatem τοῦ qua non assecuto, quod, positum pro aliqua, valet aliqua ratione, aliquo modo, πῶς. vid. Horat. Tursellin. h. v. Neutrum istorum Donatus invenit, qui sic: Qua si locum significet, videbitur reliquum praeceptum (τὸ atque eius onera adiuta) servus non audivisse. Sin audivit, Qua quomodo intelligemus, i. e., quemadmodum onus portent de navi. Peraptum igitur Parmenonis illud Minume, quod

praebet unicus liber B Berolinensis. cf. 757. Idem et H: nesciunt ex int.

304. Donatus: Haec est Homerica illa διαπόρησις Odyss. 9, 14:

Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;

308. Nostri. N. m. intro me ut c., quod fere praetulerim, quia τὸ me encliticum h. l. est, non ὀρθοτονούμενον. Quod dedi, legendum praecepit ex suis omnibus Be., quem temere secutus sum. Vulgatae: N. m. me intro ut c., quod et ipsum ferri potest.

310. v.: advenisse, illico omnes simul. Legitur omnis priore brevi apud Nostrum aliosque: vid. index v. omnis; verumtamen cum simul absit Bentleio Regio chartaceo et Gu. 1, neque ego retinendum censui.

313. illis. Codex B illi, i. e. illic, tum. Bentleii duo veterrimi Illuc, quod illic fuerit.

314. v. praecucurrit, nuntians, vetante Prisciano: nam aut nuntiatum scribi debuit, aut, quod omnino magis placet, nuntiat. cf. Phorm. 824 sqq. locosque similes non paucos. Forte, quod v. desideratur, comparet in nostris omnibus et Mureti editione. Vulgatum illarum post Vna ex int. infertum esse, versus est indicio.

315. v.: eius videndi, ut p. inter se haec permutantur. Haec in amicabus, uxoribus, dominabus denique, usitatum est. Eius si retineatur, nescias, illane ancilla dicatur, quae praecucurrit, an domina.

318. ipsa. uxor, ut infra 416 et p. Be. ad res referebat, proptereaque versu praecedente rescripsit celare.

319. v. o facinus indignum; sed facinus, vox media, minus apte in arsi ponitur, aptissime ponitur Indignum, O interiectione liquescente, sicut p.: vid. index.

323. v.: sese, ita magni atque h. s., correpta voce magni. Que confundi cum atque, non est insolitum: cf. 240. Apollodorus apud Donatum, si vere coniicio:

Οὕτως ἕκαστος ἦν διὰ μὲν τὰ πράγματα
Σεμνός τε καὶ ταπεινός.

327, 8. v. plene distinguitur in extremis his versibus, continuatione sententiae turbata. Donatus ad versum 328: Bona, inquit, παρένθεσις.

328. Gu. 1 comminiscor.

329. Fors fortuna. Ὑφὲν. i. e. subita fortuna. Et Fortuna in incerto, Fors fortuna in bono ponitur.

Vir-

Virgil. Aen. 9, 41: Si qua in te fortuna fuisset. Et ipse Phorm. 803: o fors fortuna. Donat.

330. v. si ius, si fas est, ut in codicibus aevi medii serioris, qui minutis literis exarati sunt, vix dignoscuntur ductus iu et ui. Certe lenissimae mulieris orationi magis convenit blandum si vis, si fas est, i. e. si tibi placet, si fieri potest, quam fortissimum illud postulantis sibi debitum: si ius, si fas est. Si vis, si fieri potest, et similes formae ab illis usurpantur, qui aliquid cupiunt, nec tamen rogant, et interdum ironice. vid. ad 578.

331. Tecta, ne videantur; Tacita ne dicantur. Donat. cf. Shakspearianae Hamleti act. 1 extremum.

333. Male codd. A C H omittunt pro, C etiam post des interpungit.

334. v. de reducenda, minus bene. similia p. vitia correxit Be., hoc nosmetipsi. cf. 346. Donatus: Tentat etiam hoc persuadere, sed oratorie et verecunde. Et mire De reducenda dixit, non De respuenda. Quod in rem sit tuam. Nam nisi reducatur, reddenda dos erit. Idem. cf. 445.

336. Honestius Aiunt pro Ait dixit: nam quis aut scire aut dicere potuit, nisi Philumena? Idem.

338. Quod. Philumenam ex ipso non parturire. Ipsa indicat res. Quia contristatus corripuisti te foras. Donat.

339. v. clam eveniat, eliso clam, verbo gravissimo. veniat pro sit, graeca loquendi forma. Plautus Aul. 2, 2, 62:

Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.

340. v.: Sed si fieri id etc. vel litera S voculae id adhaerente ex ea, quae antecedit, vel ex int.: nam et id requiritur in hoc genere, et nunc vagum est in codicibus, aliis id ante fieri, aliis post, collocantibus, nunc prorsus abest, velut Lindenbrog. MS. Reg., nonnullis Bentleii, nostris A C. Scires, addititium esse quo loco v. legitur. Ἀσυνδέτως autem talia efferri solent. Noster Eun. 449:

Diligenter, Pythias, .
Fac cures, si Chremes huc forte advenerit,
Vt ores primum, ut redeat; si id non commodum est,
Vt maneat; si id non poterit, ad me adducito.

341. v.: abortum esse; scio nem. al. susp. fore, duris numeris voceque nemini depressa. Abest esse libro A.

343. Vulgo τὸ et sequenti versui apponitur, occultato verbo illi, quod omnibus modis extollendum est. Idem voluit Donatus, sed ratione non perspecta. Vt non sit ἀνακόλουθον, inquit ad 344, superiori versui τὸ Et addendum est, ut sit: Et tibi nihil est quicquam incommodi.

345. v.: Pollicitus sum, et servare in eo certum est, quod dixi, fidem. Quod dixi, vel in eo, quod dixi! Nihil vidi inficetius. Imo servare decrevit fidem quoad dixit se servaturum, ut celet quidem partum, sed mulierem non reducat. Postquam corruptum esset, sicut p. factum, quoad, verba in eo perperam sunt addita. Pollicitus sum in accentu peccat, siquidem pronuntiatur Pollícitus, non Póllicitus.

346. v. de reducenda, ut 334. vide, annon aptius id referatur ad reducendo quam ad reducenda. Elegantius quoque illud est, et usui Terentiano convenientius. cf. Phorm. 215.

351. v. Quem ego tum consilio missum feci, idem nunc huic operam dabo. sed nonnulli codd.: cum cons. m. f., item, B: itidem. Be.: Quo ego eum consilio m. f., eodem huic o. d.; parum feliciter. Cum iunctum indicativo vexasse ita videtur librarios ut mutarent lectionem; quanquam et confundi solent inter se c et t literae. Item hoc dicendum de verbis Item et Idem. Nunc additum, postquam tum obtinuisset, huic scilicet illud opponendum. Hunc operam dabo. intell.: ut missum faciam.

355. v. crebro. sed semel audiisse sufficiebat, sicut 260. Crebrum. vehementem.

357. In tota comoedia non cessabit, cum sit piger, nec resciscet aliquid, cum sit curiosus, Parmeno. Donat.

361, 2. Posidippus:

Ὁ μὴ πεπλευκὼς οὐδὲν ἑώρακεν κακόν.

362. Donatus: Proprie dixit Ingressus: nam qui iam navigavit, egressus dicitur. Sic Virgil. Aen. 1, 176:

Egressi optata potiuntur Troës arena.

367. Haut clam est. Λιτότης pro Ego maxime intelligo, quam sit odiosum. Donat.

368. Sciam nostri et vett. edd., ut edidit Be. v. minus eleganter: siet.

371. ipsum. vid. ad 272.

372. ego hunc adibo. Vel nova curiositate ait Parmeno. Donat.

373. v. Et quidem, vel Equidem, te expecto; sed te arsi adiuvari satius est. Donatus: Apparet, Pamphi-

lum Parmenonis absentiam desiderare, eo quod nunc prior Parmenonem alloquitur. Vnde colligas grammaticum haec ita fere perscripta invenisse in suis libris:

PAMPHILVS.

Equidem te expecto.

PARMENO.

Here, etiam tu hic nunc stas? quid est?

Legitur autem in vulgatis: Here, etiam tu nunc hic stas?

376. v.: Myconium, qui mecum una advectust, conveni; prave acuta voce Myconium, frustraque onerato versu. De verbo Myconius cf. 746, 748 et Eun. 940. vectus habet Bemb., quod et Be. praetulit.

377, 8. Facete dixit: more enim hoc fit eorum, qui, longis itineribus maris periclitati, vovent aliquid, si pervenerint. Et convenit hoc Pamphilo, quem supra male navigasse audierat. Donat.

379. Quid vis dicam? an conveniam modo? Non enim mandaverat quicquam, qui sine causa mittebat, oblitus bene dissimulare, ut qui mentiuntur. Et sic pronuntiandum An conveniam modo? ut reprehendere dominum Parmeno videatur. Idem.

381. v.: — exspectet. vola. quomodo nusquam in re simili nec Noster nec Plautus; et ne ἅπαξ λεγόμενον hoc putes, facit servi responsio, qui volare iussus certe iam hic ogganniisset, ut mox, ubi de currendo tantum agitur: Non queo etc. nam recte quidem viae cupidus praeco Aristophanëus Lys. 1013: ποτάομαι. Volo. int. dicas, ut ille rogavit: quid vis dicam. Et graviter pro domini persona: Volo.

382. At non novi hominis faciem. Stomachose pronuntiandum At, quod et Pamphilus reprehendens: At faciam ut noveris. Donat. Putide autem v.: quod et Pamphilus repetit dicens: At etc.

383. rubicundus. Be. hoc conferens cum verbis Cadaverosa facie, cum utrumque in eodem homine haud facile esse recte iudicasset, non recte reposuit Lentiginosa facie: nam servum minime callidum ludos facturus Pamphilus pugnantia consulto dicit, nihil sentiente Parmenone. Donatus ad verbum Crispus: Imperite Terentium de Myconio Crispus dixisse aiunt, cum Apollodorus Calvum dixerit, quod proprium Myconiis est; ut Lucilius:

— Myconi calva omni' iuventus.

unde etiam proverbium graecum Μυκόνιος φαλακρός. Sed

ego Terentium puto scientem facetius Myconium crispum dixisse.

385. Quid, si non veniet? Omnia dicit, ne eat. Donat. Legit igitur is quoque, ut videtur, veniet. Sec recte quaerit servus, an manere se iubeat Pamphilus, si hospes non venerit, hoc est si non adsit; sin non praesentem in arce cogitasset Parmeno, sponte sequebatur, manendum esse, dum is venisset.

386. H: nequeo, ex int.

397. i. e. Certum est offirmare me ea via, quam decrevi persequi. Graeca loquendi ratio. De me transposito vide ad Eun. 346.

398. hoc. i. e. huc, inter redeundum domum a foro. cf. 216. H: hic.

400. v.: — est, salvum atque validum. sed quis hoc ferat, τὸ salvum latitare in thesi, τὸ atque efferri?

403. v. haud multum heredem iuvant, ambigue. et aptius, cum de pluribus, qui relinquunt, dixit, plures quoque heredes infert. atqui Gu. 1 dilucide: heredes.

404. Bene et facete: nihil heredi relinquunt, sibi vero relinquunt. Donat.

Inscriptio vetus Tordae in Transsilvania: VIXI DVM VIXI BENE. Lindenbrog.

Est autem, inquit Erasmus adagg. 3, 5, 66, amphibologia in verbo vivere, quod interdum simpliciter vivere est, interdum genialiter vitam agere; ut apud Catullum:

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.

406. Imo obfuit: nam etc. Morem eorum expressit, quibus relinquitur, qui cum audierint, sibi aliquid esse relictum, tunc tristes se fingunt. — Nihil in hoc sene fuit doloris officium antequam sciret, aliquid relictum. Donat.

De producenda postrema syllaba τῦ profuit vid. ad Eun. 250.

409. Bene et Heri et Arcessi et Iussit, ut breve tempus sit et coacta videatur exiisse. Ex Donato. Legitur autem v. heri, durius ad versum.

415. fui pro fuerim. Donat. vid. ad Eun. 478.

420. v.: Sed quando sese esse indignam deputat matri meae Cui concedat etc. quod ne Latinum quidem est. Pro Cui Bemb. a prima manu Quae, ut legendum coniecere Guyetus et Gronovius Observatt. 3, 8. quos hactenus sequitur Be., praetereaque pro cuiusque reponit quaeque eius. Sed consideret lector, quam apte in vulgatis accentu extollantur verba Cui,

cuiusque, quam inepte in nova lectione quae, quaeque. Cum igitur sese vagetur in codicibus, velut in uno Meadianorum ponitur post indignam, natum id puto ex esse, quidem vero et pronomen illa, quia nihil ad sensum conferre videbantur, forte periisse arbitror poëtaeque restituenda. Se postquam esset receptum, voces matrem meam mutari consentaneum fuit.

425. haud invito mihi. ἀσμένῳ ἐμοί.

428—431. Haec v. sic leguntur: Quibus iris impulsus nunc in illam iniquos siem, Quae nunquam erga me quidquam commerita est, pater, Quod nollem, et saepe, quod vellem, meritam scio: Amoque et laudo et vehementer desidero. In quibus primum reprehendenda verba in illam, quae versum onerant. Be. et iusto audacius et minus eleganter: Quid ego ira impulsus etc. Subaudiuntur talia p. apud Nostrum, adscriptaque h. l. sunt ab inepto quodam homine, τὸ ἀνακόλουθον non assecuto, ut scilicet haberet, quo referretur, quae. Porro, quam ingrate verborum varietur constructio in duobus versibus sequentibus, in oculos incurrit; Amo vero H exhibet, non Amoque, unde coniicio, et in fine praecedentis versus forte periisse, ut fieri solet in leviculis vocibus vel primo vel extremo versu positis, scribendumque haec esse ita ut exarari iussi, ne prave acuatur τὸ vehementer; cui vitio item medicans in antecedente versu Anglus criticus, plures melioresque libros secutus, quibuscum faciunt et nostri A C, optime rescripsit: meritam, quod vellem, scio. Figura anacoluthi saepius et hic utitur, velut Andr. 67, 541, ut monet Donatus, et alii probi scriptores. Varro de re rust. 2, 4: In Arcadia scio me esse spectatum suem, quae prae pinguetudine carnis non modo surgere non posset, sed etiam, ut in eius corpore sorex, exesa carne, nidum fecisset et peperisset mures. cf. inttpp. ad Sophoclis Elect. 463 et Philoct. 635.

436. Vetus Lindenbrogii codex, nostri A C: si sanus satis sies, B et H: si sanus es satis, quod insuper me habuisse piget. Reponendum procul dubio:

LACHES.

Si sanus satis,

Iube redire.

Sic p. Satis sanus. Es intelligendum: vid. Andr. 578. Sies interpretis.

437. v. Iube illam redire, itidem ex int., eliso autem τῷ Iube, verbo nimis gravi: cf. 409, 410.

445. Proterve, immoderate et superbe, dictum est ideo, quod proterat alium, qui protervus est. — Donat.

447. v. redisti huc n. P. ex int.

449. v. Quia paululum vobis accessit pecuniae, numeris pessimis. Et paulum quidem meliores fere libri exhibent, in his B C, quo tamen recepto sanatur versus, non persanatur: siquidem hoc loco áccessít non magis ferendum quam 263 úxorém. Dedi igitur accidit, quod non modo aptum est versui, sed etiam sententiae magis congruum, quia turpius est paulo argenti superbire, quod tibi acciderit, i. e. forte fortuna evenerit, quam quod quocunque tandum modo accesserit, laboreque fortasse tuo fuerit inventum, ut honori tibi sit istud lucri.

452. v. si huic non sit, siet, perquam ineleganter. Bemb. si huic non est, siet, quod recepit Bc. verum et est et sit ab interprete est additum, quibus deletis, iam debito sibi accentu gaudet huic. cf. Andr. 209.

453. v.: Phidippe, ades; audi paucis. depravate, nisi fallor. certe abrupta Lachis oratione magis exprimitur alterius senis festinatio. Quod reticuit Laches, plene dixit, non interpellatus, Simo Andr. 2. Vsitata haec formula.

462. v. peperisse; sed codex C: eam peperisse, ut incerta sedes est glossematum. Clam ictum non liquescit.

465. Apposui τὸ At- huic versui, quia incommodum mihi videbatur, saepius hic mutari metra, nec satis placebant uno in pede, quamvis primo versu, duas corripi syllabas, At- ec-, positione longas. Ac, et, aut p. apud hunc aliosque habes extremis versibus. Sed oggerat mihi quis Taubmanni affirmationem ad Plaut. Aul. 4, 4, 1, corripiendam esse τοῦ foras posteriorem syllabam. Cui oppono non leviorem auctoritatem curiosissimi viri, G. I. Vossii, qui disertis verbis lat. Syntaxeos pag. 132: In as longa: ut bonitas, Aeneas, mensas, amas, foras. nam quae loca Plautina profert Taubmannus, ea partim ambigua sunt partim depravata: siquidem certe Stich. 5, 4 versus 55 mancus est et ita, ni fallor, restituendus:

I foras, egredere. sat mihi pulchra es.

Stichus.

Enim pulcherruma.

ut I, sequente simili litera F, exciderit, sicut Aulul. I. I. secundum Lambinum, quem ibi verum vidisse

censeo. ad quam faciem et Epidici 1, 2 extrema reposuerim:

Ne hic foras ambitet, neve usquam obviam veniat seni.

ambitet, ut imbites eiusdem scenae 42, ubi vid. Taubmann. Τȣ̃ foris quoque corripi syllabam posteriorem Heaut. 872, quam productam habes apud Horatium, deproperarique adeo vocem illam ponderis ibi maximi, parum placet, ut non invitus legerim:

Foris sapere, et non tibi posse auxiliarier?

466. Heus, tibi dico. Ostendit Myrrhinam avertentem se, quasi nihil inveniat quod dicat de filia. Donat.

467. Ἐμφατικῶς dictum virum et hominem: vid. ad Eun. 109, 409. Et est αὔξησις, nec perversa, ut Donato videbatur: siquidem maius opprobrium est, ne hominem quidem te videri.

470. rogitare. s. codd. B C, quod numerosius vulgato rogare veriusque etiam propterea, quia adversariorum verba repetere irati solent, quos imitatur Myrrhina. Donatus: Mira calliditas. Rea mulier hoc solo defenditur, quod accusat. V. etiam taces; sed recte Be.: Taces, inquit, vix corripiat posteriorem: tacen, viden, brevia sunt. In libro B omissum filia.

471. v.: ex quo censes, nisi ex illo, cui etc. m. l.: nam ex, medio praesertim versu, corripi, non ferendum.

474. Hic versus utrum pro trochaïco tetrametro acatalectico an catalectico habendus esset, absque illa regula, de qua ad Eun. 940, non posset certo definiri; nunc potest. Ceterum v. tempore, sed suus, tuus, fere monosyllaba sunt, et ablativus verbi tempus, ubi pro adverbio est, sic efferri solet: tempori, tempori suo. Codd. nostri fere: tantopere, hunc omnes etc. Lindenbrogianus Regius: peperit.

Donatus, v. leviter depravatus: Videlicet duae causae sunt celandi partus: si non tempore suo venerit, quod indicium stupri est; et si non recte evenerit, hoc est, monstri aliquid natum fuerit. Haec autem et tempore suo et recte natum praedicat. Sic ille, qui invenisse videtur: Partum, praesertim cum tempori suo et recte pepererit.

486. v.: Nam in omnibus innatum est, male in eadem sententia mutato metro. V. quoque: iam aderit, quod interpretantur, ut etiam in codd. scriptum legitur: iam aderit tempus. vid. ad Ad. 273. V. item h. l.:

se quoque etiam cum oderit. Donatus: „Mire senectutem accusat senex, quum et velocem ostendit his verbis Iam aderit, et addit, se quoque oderit: quasi dicat, Non solum non amabit, sed et odio habebit, et non alienas mulieres modo, neque uxorem quoque, sed etiam seipsum. Plus ergo illatum, quam ratio deposcebat; sed mire ad affectum senis exprimendum." Imo male, quod pace optimi viri dixerim: nam quis tam falsam approbet sententiam, tam longe repetitam, Pamphilum olim in senectute osurum esse Bacchidem, siquidem seipsum? Quid id nunc, quaeso, matri attulisset solatii, si eo res indiguisset, ut arbitratur senex lenissimus? Quin hoc dicit Phidippus, iam, i. e. mox, fore, cum id, amores, amicam, satis oderit quoque filius, sicut nunc quidem in ista sit propensus. Et sic dudum evenisse Pamphilo, narravit servus supra 106 sqq. Id transpositum, quam figuram hic amat, librariis saepissime non intellectam. vid. ad Eun. 346.

487. v. — ostendisti, eadem esse nil etc. sed codd. Berolinenses, item vett. edd.: eandem esse, quod longe elegantius, modo deleatur esse, profectum illud a nescio quo glossatore. Integra oratio foret haec: eandem te ostendere nihil cessavisti usque adhuc. cf. 351.

494. Quid tum postea? Ἰδιωτισμός, quo contemnimus crimina leviora. Donat. Sic et nostrates: Was ist da weiter?

496. Qui, unde vel quamobrem. — Donat.

498. Vetus codex Lindenbrogii dicerem, ut p. haec commutantur. cf. 286.

503. v.: sensisti esse in eo, m. l.: nam Goveani et Bentleii sensti duriusculum, libris praesertim non addicentibus.

513. v.: Hoc mi unum ex plurimis miseriis reliquum fuerat malum, perperam acuto verbo miseriis: vid. ad Eun. 940. malum est interpretis.

515. Donatus, nisi fallor: Ab activo Queo passivum Queor retinendo participium Quita est antique dixit.

516. v.: qui post possit noscier qui siet. recte post abest codice A, quod et sententiam iuvat parum et metro officit.

517. v. eripuit, perverso accentu. praesentia pro futuris p. veniunt, usu elegante.

521. v. etsi ea diss. s. ex int., elisaque graviore voce etsi, parum etiam eleganter, cum unum tantummodo indicetur, τὸ suspectam esse Sostratam Pamphilo.

Quod sensit quoque iste apud Donatum, qui sic, si me audis: Ea, id est, quae scio: vel Ea pro eam rem etc.

524. v.: T. a. quam. Voluit quom librarius, quo in genere saepius peccatur. nam durior Donati ratio: Deest Tam, ut sit ordo: et quam te amare me rebar, tantum firmasti fidem ei rei. Bentleii codex Academ. quem, ipse ex veterrimo suo reposuit: Teque ante quod etc.

525. Tuus pater. Familiarius, quam si diceret Laches. Donat. Imo etiam amarius, ut quem maritum dicere dedignetur irata mulier ob novam rixam, quam experta est. cf. 458.

526. v. amori tuo, ex int.

532. v. abest ut, minus quidem usitate. Noster Andr. 588: Oh, tibi ego ut credam, furcifer? Item Phorm. 917: Hiccine ut a nobis tantúm hoc argenti auferat? et ibid. 953: Hicne ut tibi respondeat, Qui hercle, ubi sit, nescit? s. p. Atqui H: Vt illius etc.

535. festos dies. qui quidem in urbe agebantur, velut magna Bacchanalia, quorum longe maior numerus quam ruralium, praesertim Athenis Atticis.

536. v́. istaec res, ex int., metro quidem laborante, nisi secundam verbi voluptatis corripias, quod praedurum medio in versu.

539. v. mortemve exsp. m. sed sic balbutire Terentium? nam alia quidem ratio est eiusmodi ἀνακολού-θων, de quibus egi ad 428. hic purus putus soloecismus. Facillime autem et saepissime t et e literae inter se confunduntur.

544. v. absque una haec (Be. hac) f. Neque haec neque hac Donatus videtur invenisse, qui sic, si recte coniectamus: Vna. Re subaudiendum. Bentleianum hac admitti posset, si rem sciret Sostrata, ut hac dictum acciperetur pro illa vel ista, Graecorum more, qui sic interdum usurpant τὸ ἐκεῖνος: vid. 552, Eun. 392. nam praedicare rem aliquam tanquam notam quae ignota sit alteri, praesertim matri, et seniori quidem itaque omnia perquirendi etiam cupidiori, cum nullam explicationem verborum tuorum addideris, inofficiosi est, ne dicam impudentis. Aversum autem haec secum loqui Pamphilum, quae nonnullorum est opinio, minime probabile est, siquidem in tanta turba hoc certe animadvertisset mater, secus ac fieri videmus: nam ita respondet Sostrata, ut quae omnia filii dicta bene exaudierit.

545. v. Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem, ex int., nec recte collocata voce uxorem.

552. v.: Quod fac. sit post fort., idem hoc nunc si feceris. SO. Fors fuat pol. Vide, quam male haec cohaereant: Istuc est sapere, qui, ubicunque opus sit, animum possis flectere; Quod sit faciundum sit fortasse post, idem hoc nunc si feceris. Saltem dedissent: item hoc nunc ut feceris. Scilicet non intellecta verba fors fuat pol omnes has dedisse turbas, quae pro Fortunae invocatione accipientes, cum manca videretur antecedens proxime sententia, cito addiderunt si feceris, itaque et sententiam obscurarunt et metrum. Fors, i. e. fortasse, quod pro interpretamento adscripsere pariter ac τὸ post, unde et vagantur haec verba in codd. Fuat, sit, ut recte Donatus, i. e. εἴη ἂν, γένοιτο ἂν, fiat, fieri potest. Dicit senex, quod aliquando fortasse faciundum sit, ut rus abeant, item nunc fieri id posse. Cod. A quod sit fac. post fort. Postidea Muretus restituit, quod et obliteratum haud inepte censeas per consimilia post idem. Sententia non prorsus absimilis illi, quae inter Syri legitur:

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

554. v. I ergo intro, m. l. A: tecum quae simul fer. Versus hos iambicos similiter atque hic digestos videre licet in MS. H.

Dixi. Denunciatio est confirmandae sententiae, nec mutandae; et translata est de foro et causidicis. Cic. Verr. 11, 30: Praeco dixisse pronuntiat. Donat.

555. Pater. Ipsum nomen dehortationem significat, adiecta pronuntiatione. Idem.

556. Sic pronuntia, ut hoc vultuose dictum sit, Hinc abire matrem? Idem. Vultuose, quod saepius inculcat Donatus, i. e. ad frontem sublato supercilio adversaque personae parte tristiore. vidd. Boettiger ad Phorm. 176, Donatus ad 578, 613, 632, 668.

558. Equidem — persequar. Haec secum Pamphilus, uti et 571 et pleraque sequentia.

559. v. ex usu quod est, id persequar, vacillante versu, siquidem τὸ est illa regione durissime corriperetur.

560. v. Credo, ea g. c. magis, si non red., fore, stolida sententia, ut recte Be., quem et sequor hactenus, ut negationem arbitrer tollendam; sed quam ille hanc statuit ironiam, eam quidem nec congruere tantae perturbationi puto, nec filium decere adversus pa-

trem. Mutatio metri affectum exprimit, sicut p. apud Nostrum.

561. Illud nequeas, quod v. abest, correctorum, ut opinor, culpa, in libris Berolinensibus legitur omnibus, estque sane perelegans. Intelligitur autem scire ex nescias, quod disyllabum est, ut p. Ceterum, quod v. obtinet, id tua refert, esse interpretis, metrum maxime est indicio: siquidem in eadem persona, eademque sententia pertinente, non recte id mutaretur. sed nec verum est, Pamphili tantum id nihil interesse, cum et ipse Laches hoc modo haud dubie multis se curis solvi cupiat, ut quem supra 170 gravissime exclamantem audiverimus:

Non te pro his curasse rebus, ne quid aegre esset mihi?

564. Senex atque anus. Haec duo nomina, ut posita sunt, caput indicant et inceptionem huiusmodi fabularum. Donat. Nostras quoque populus delectari solet fabulis de sene et anu, equum seni adducente vel quiddam simile ridiculi causa comminiscente, neque ignobile similis argumenti poëmatium Anglorum illud, cuius initium: Take thy old cloak about thee.

566. v. Tibi quoque, ex int., ut p. et hodie quoque pro hodieque et similia quaedam exararunt: nam tibi deproperari, verbum magni ponderis, haud placet. Ac male abest: nam sic p. eleganter ac quidem, et quidem, ac denique solum iuncta reperiuntur verbis proprie dictis nominibus adverbiisque. Noster Heaut. 544: Et exposcet quidem? Andr. 342: Ac nullus quidem, Eun. 1031: ac memoriter. cf. Andr. 354.

567. v. factum est t., Bentleii fere omnes, sicut et nostri B C: est factum t. Scires, addititiam esse copulam.

569. Opportune et In ipso tempore non est idem. Etenim Opportune dicimus, quum, verbi gratia, invitati ad ipsum tempus incipiendi prandii venimus; In ipso tempore, cum iam prandio apposito. Donat.

572. filiae. Blande non addidit Tuae: quasi dicat communi filiae. Et bene non socrum, sed Sostratam. Idem.

574. Tua. Deest uxor, quod nomen inferius posuit. Idem. Si tamen haec sunt a Donato. vid. sequens annotatio.

576. v.: A M. haec sunt mea uxore exorta omnia, numeris durissimis: A Myrrhin' haec sunt m' uxor' exort' omnia, verborumque haec et mea neglecto al-

tero, altero, quod totius sententiae gravissimum, sic eliso, ut vix audiatur. Non talem artificem novi Afrum. Quin uxore additum ab interprete, quod aeque bene hic intelligitur atque uxor praecedente versu: cf. index v. meus: ut verear ne perperam Donato, eruditissimo grammatico, antecedens attribuatur annotatio.

Mutatio fit. Haec v. Phidippo attribuuntur. sed prorsus nihil ad haec tam inexspectata respondere Lachem, consentaneum non est. Bentleius Pamphilo adscribebat, non omnino male, nisi graviora is habet quae dicat.

577. quam velint. quantum velint. Donat.

578. Si fieri potest interposuit, ut supercilium soceri demonstraret. Recte additum Si fieri potest: quia non convenit rogari a socero generum ut supra dixit 443. Donat. vid. ad 330 et indicem v. formulae. si vis etc.

581. Accipias puerum. Iure: quia liberi patrem sequuntur. — Donat. Puta, ex iustis nuptiis procreati; ex iniustis vero quaesiti matrem sequuntur. vid. Lindenbrog. ad h. l.

583. Bene non Abierat, sed Abducta fuerat, ut magis sit culpa matris. Donat.

590. i. e. aeque mihi displicet ac tibi.

592. Sequitur etiam C. v. consequitur, ut saepius cum et con inter se commutata deprehendas. Eam, Philumenam.

598. Donatus et Bemb., quos sequitur Be.: Si ex me illa lib. Satius mihi visum, me, in quo tota vis sententiae sita est, non elisum in arsi collocari.

599. Vetuste Mecum nuptam dixit. Et recte: quia partus confirmat nuptias. Donat.

603. Donatus: Sua pro Eius, ut Aen. 4, 633:

Namque suam patria antiqua cinis ater habebat.

604. Idem: Bene Mirandum, non Irascendum, dixit: miramur enim magis, si amici peccaverint, quam irascimur. cf. 655.

606. an quia. cf. 727.

608. Etiam A C Reductan, ut optimi quique. v. an reducta, recte Bentleio improbante. atqui pluribus libris, in his A, τὸ an abest.

613. Quem ipse neglexit pater? Hic sibi obmurmurans vultu et verbis ostendit, nolle suscipere filium. Donat. vid. ad 556.

632. Hoc vultuose et demisso labro, ut appareat,

invitum adduci ad reprehendendum, qui laudaverit modo. Donat. vid. ad 556.

635. vid. ad 688.

641. v.

— — tibi. L. Ah,
Reduc uxorem, aut q. non opus sit cedo.

Gu. 1: reduc ipsam, recte. uxorem est a glossatore.

644. v. Omnibus modis, ex int., quae ubi obtinuisset, pronomen deleri, ut inutile versui, fuit consentaneum. Omnimodis Lucretius, Noster similiter Multimodis Andr. 909 et saepius, ubi itidem fere codd. et scholiastae multis modis. Omnimodis, omnino, prorsus, ut multimodis, multum, valde. cf. 345 sqq.

645. concludit. Translatio de fera indagata. Sic Cicero Verr. 3, 59 circumdatos Verri cancellos ait. Donat. cf. Phorm. 706.

652. v. uxor mea, ex int., ac vera quidem. vid. ad 654. Fallitur Be.

653. Menander:

Φύσει γυνὴ δυσήνιόν ἐστι καὶ πικρόν.

Cf. Ovid. Art. am. 2, 373 sqq. Westerhov.

654. Nam ipsa narravit mihi. Donatus: Vtrum finxit haec dixisse filiam sibi? an vero κατὰ τὸ σιωπώμενον factum est? Ego neutrum puto, et sic intelligo, quod de uxore sua dicat: Ipsa narravit mihi, secundum illud quod supra dixit 479 sqq. Sic ille, recte, si quid ego sentio: nam Myrrhina et Sostrata in hac comoedia rerum auctores fere omnium quae fiunt vel sunt vel creduntur certe, praesertim Myrrhina, quae abduxit filiam, partumque subdole celatum voluit. Philumena ipsa in cubiculo suo patiens audit fertque omnia quae eveniunt, neque irae et querelae decent culpae sibi consciam mulierem, praesertim modestissimam, qualem descripsit eam Parmeno 101 sqq.

655. nolueram etiam A C. v. nolebam ex int. quod sensit Be. vid. ad Eun. 800.

656. Neque ei. Sic Muretus ex codicibus, ut opinor. v. Neque illi, duriore numero.

659. Hanc. Bene Hanc, quasi eam quae interturbat. sic enim sumitur hoc pronomen, ut supra 225: hancine ego vitam parsi perdere? et Virgil. Aen. 1, 98: tuaque animam hanc effundere dextra? id est malam? Donat. Minime quidem mala haec explicatio, modo pluribus certioribusque adeo exemplis adstruxisset eam grammaticus. Vt nunc res se habet, hanc vel interpretaberis illam, de qua locuti sumus, vel vi-

cinam, ut et mox Laches: curre ad Bacchidem hanc Vicinam nostram. vid. index v. hic.

660. Oremus. Id est, eloquamur. Potest intelligi et Rogemus; sed non convenit personae potiori et causae et ipsi verborum ordini. Donat.

662. v. puer, m. l. Puerus, puere, p. Plautus. Be. ex tribus codicibus, Eho, curre, puer, ad B., quod correctoris puto.

663. Huc evoca verbis meis. Bene servata sunt personis congruentia: nam socerum monere hanc rem tantum decuit, non etiam facere, ut cum pellice filiae suae mitius sermocinaretur. Donat.

666. v. M. a. hanc inter nos volo, male acuto nos enclitico. vid. ad Andr. 667.

668. Melius pronuntiaveris, si renitente et improbante hoc vultu dicere acceperis Phidippum: quasi non oporteat interesse socerum. Ideo mutat sententiam Laches et relegat eum in procurationem alterius rei. Donat.

669. v. Immo vero abi: aliquam etc. sed imo utraque brevi esse, nec Goveanus persuadet nec Be. Otiosum est abi natumque ex sequente verbo. Vero abest MS. Reg. Lindenbrog. A C et vett.

672. v. hanc. Hinc, Be. inquit, i. e. ab hac Bacchide, ut Ad. 335 hinc, ab hoc Syro.

674. Verba A., Bacchis, salve (nam s. v.) pro clausula habentur secundum Bembinum; sed insuave est, Bacchidis resalutationem in alium differri versum: quamobrem vel legeris tu Lache cum Mureto, vel O salve mecum. Sic 25, Phorm. 571, comiter quidem atque eleganter; unde est quod etiam inferiores ita solent. cf. Andr. 239. Iambici senarii p. adhibentur pro clausulis eiusmodi tetrametrorum: cf. 159, Heaut. 354, Eun. 682. quomodo nusquam, quod sciam, usurpatur iambicus dimeter catalecticus.

Donatus: Bene Aggrediar, quasi rem arduam et incongruam seni, vel Aggrediar, ut meretricem circumveniam. Virgil. Aen. 4, 92:

Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis.

675, 6. Iambicos trimetros hypercatalecticos Plautus p., Terentius hoc uno in loco usurpavit. Quanquam Be., Faërnum et Bembinum librum secutus, haec ita digesta voluit:

Aggrediar, Bacchis, salve.
B. Salve. Lache. L. Edepol credo te nonnil
mirari, Bacchis,

Quid sit quapropter te huc foras puerum evocare iussi.

sed vide ad 674. Saepius metra mutari in tanta turba consentaneum est. Et si hoc quidem genus admitti quis posse neget, quia nusquam alias usus eo est poëta, ei respondeo, nullam Terentianarum fabularum tam saepe incudi redditam esse curaque maiore perpolitam, Comico non solum verborum summa proprietate atque elegantia, sed etiam metrorum variorum lenociniis plausum plebeculae exprimere cupiente. cf. 688 – 90.

680. v.: Nam iam aetate ea sum, ut non siet peccato mihi ignosci aequom, quod ne latinum quidem, sententia vero, quam inde elicere sibi videntur trepidantes interpretes, ea longe est ineptissima atque inhumanissima. Recte Sostrata Heaut. 593:

Quanto tu me es annis gravior, tanto es ignoscentior.

Reponendum haud cunctanter peccata, ut Laches dicat: sibi, ut grandaeviori, peccata iam minus ignoscenda esse; quo magis semper curet, ne quid delinquat. Et hoc voluit ille apud Donatum, qui sic, ni fallor: an quia nunc mihi peccanti non danda est (venia)?

682. v. Nam si id nunc facis etc. versu impeditiore. Et Bembino quidem nunc aberat; sed rectius delebis τὸ nam ut ταυτολόγον, praesertim cum id verbi modo habuerimus. Nunc significatum temporis hic non habet, sed valet igitur, quod vel indicaturi vel non advertentes librarii modo τὸ nam superscripsere, modo, quanquam rarius, genuinum nunc delevere, ut fieri solet in hoc genere.

683. Inscitum. Hac voce etiam in A codice incipit hic versus, secus ac v. fit, praeterquam in Faërniana et Bentleiana editionibus. Legitur autem v.: Inscitum offerre iniuriam tibi (vel tibi me) immerenti, iniquom est, ex int.: siquidem illud ipsum Inscitum nihil aliud significat quam Iniquum. Donatus: Inscitum. Inelegans, non bonum. Et bene non dixit Durum aut quid tale, sed Inscitum: quo verbo maxime mulieres et meretrices utuntur. Scitum enim dicunt quod placet; Inscitum quod displicet; ut Andr. 455: Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo. Ita grammaticus solertissimus, qui si istud Iniquum in libris suis invenisset, paulo aliis haud dubie verbis locum explicasset: nam quid attinebat, Durum non dixisse, si Iniquum dixerat?

Nisi quis etiam nihili haec annotata Donato tribuat cum vulgo editorum: „Inscitum. Me scilicet, si iniuriam faciam. -- Hoc tale est quod dixit Inscitum ex abundanti: quale est apud Virgilium Aen. 12, 185: Nec post arma ulla rebelles Aeneadae referent." vid. etiam ad 696. Eugraphius quoque nihil praeter haec: Inscitum, offerre iniuriam. Iniustum valde non merenti tibi inferre iniuriam. Τὸ est transpositum: vid. ad Eun. 258.

685. Parum mihi prosit. Si sic accipiatur ut scriptum est, λιτότης est aut ταπείνωσις, et ita intelligendum, quasi dixerit, multum mihi nocuerit, imo me everterit. Donat.

Legitur autem v. ex int. metroque laborante: se expurget.

687. Pertuli. Recte Donatus: Quia multum diuque amavit, Pertuli dixit, quae est longi temporis significatio.

Huc pertinet etiam frequentativum Receptas versu praecedente.

Itidem Donatus v. interpolatus: Vestrum. Blande et honorifice: non enim illius amorem et tuum quaestum, sed amorem vestrum. nihil potuit dici familiarius. Pertuli autem quantam vim patientiae habet quantumque ponderis, ne laedi mereatur ulterius!

688—90. Hi versus, me iudice, ex illis asynartetis sunt, quos Plauti Mil. glor. 4, 2 detexit Reizius. vid. G. Hermann. de metris Gr. et Rom. pag. 391. Constant autem ex trochaïco dimetro et iambico dimetro catalectico, videnturque minime inefficaces in hac turba, sed aptissimi ad exprimendum quasi ancipitem Lachetis animum, qui et lenem se futurum ostendit, si Bacchis sibi obtemperet, et asperrimum vindicem, si resistat. Ceterum cum in Goveani editione reperissem Mane mane (nam v. semel tantummodo verbum legitur), nec plane obmutescenti mulieri silentium recte imperare videretur Laches, prius Mane mutavi in Men'? ut est mox 690 et supra 635, ubi Donatus: Hoc genus interrogationis negativam habet significationem. Simile, eodem monente, Quis id ait? 691. Nam quod idem ad h. l. annotavit, frigidiusculum id est: Apparet, senem tarde et longe loquentem interpellari vultu responsurae meretricis, quum ille sibi silentium praeberi velit etc. Illud Mane tacere iubentium habes etiam Heaut. 221, 561. Versu 689 bene Dona-

Donatus: Dum aetas in flore posita est, facies vendibilis etiam est. Denique 690 v. legitur: Nam neque ille hoc animo erit aetatem, neque tu eadem istac aetate, ridicule: nam si istac semper aetate, etiam eadem erit Bacchis, neque ex fide scriptorum, siquidem MS. Reg. aliique veteres libri Lindenbrogii, Bentleii omnes, non agnoscebant τὸ aetatem haud magis quam Aldina editio. Sententia iam haec est: neque ille te amabit semper, neque tu semper formosa eris. aetatem, semper.

691. Abduxit, proprie. Arcessi enim dicitur ad maritum, Abduci a marito ad divortium. Sic Virgil. Aen. 10, 79: Et gremiis abducere pactas. Donat.

693. v. Aliud si scirem, proclivi lapsu, vel ex int.: nam vitium subesse, metrum indicat. Be. tentabat Alid si scirem.

696. Lepida es. Senex cum meretrice loquens, eo potius nomine laudavit eam, quo meretrices solent laudari, quam quo matresfamilias. Sic et supra 683 quum Inscitum diceret, rationem habuit, quae esset cum qua loqueretur. Donat.

697. Gu. 1: fac eas etc. Natum FAC ex EAC. cf. Eun. 720.

704. Facilem ad peccatum, Benevolum ad iracundiam retulit. Donat.

705 Codex C quoque hee, i. e. hec, haec, sicut et 733. In libro B τὸ c adscriptum a recentiori manu.

708. Vulgatae ex int., metro quidem pessumdato: Aliter si facias. Correxit Be.

709. v. aut quid possiem et sequente versu inimicus, quae est arena sine calce. Non male affectu mutante mutat metrum.

710. ut, quod v. abest, requiritur a versu. V. item: Nihil apud me tibi, frustra mutato metro.

711. Noluit dicere Deesse, sed Defieri dixit, ut id, quod minus usitatum est, magis delectet auditum. Donat.

712. v.: ebria eris, puer ut satur s. f. Be.: eb. es, et p. ut s. s. f. Rectius in es versus inciditur τῷ ut intellecto.

713. Noster blandientis dictum est. Virgilius Aen. 2, 149: Noster eris. Et magis hoc consuetudine dictum est quam integritate. Donat.

716. Per me. hoc est, me auctore et permittente: ut, quod per legem tibi non licet, per me liceat. Donat.

717. Bene Donatus in annotatione ad h. l.: Multa Terentius feliciter ausus est, arte fretus: nam et socrus bonas et meretrices honesti cupidas, praeter quam pervulgatum est, facit; sed tanta vigilantia causarum et rationum momenta subiungit, ut ei soli merito videantur omnia licere. Nam hoc contra illud est, quod alibi ait, commune esse iam omnibus Comicis bonas matronas facere, meretrices vero malas.

719. v. quod aliae mer., ut etiam 777 erratum est. Certe generali sententiae magis congruit alias quam aliae: nam si aliae tantum id fugitant, possunt et aliae facere, potest ipsa non esse sola, quae hoc aggrediatur; sed quod alias non fit, nimirum id ea sola est quae faciat.

721. v. p. hanc nunc e., obscure: nam cur Philumena potius quam Myrrhina dicatur haec? nisi quis Bacchidem intelligat cum Donato, quod ferrem, si ex eius opera utrumque id suspensum esset, quod dicturus est Laches; sed de adulterio purgare Pamphilum, id quidem in manu Bacchidis erat, irae vero ipsius ob clam natum puerum medicari, ad eam minime pertinebat. Hoc experiamur porro, i. e. videamus, quid hac de re porro faciundum sit. Inest autem verbis boni eventus spes et significatio. cf. Ad. 146.

724. v. quod peperit uxor clam, id leve est, male eliso verbo clam.

726. Post haec versus 734 735 inculcantur, nec tamen propterea loco consueto omittuntur, in C codice.

727. v. tu ipse d. a., ex int. Quia posteriorem syllabam producit. vid. ad Eun. 215. De forma loquendi cf. 608. Be. reposuit: — narras? quiane non tute ipse d. a.

730. v. animum iis ut credant, absque verbis et coge, quae, versui praesertim apta, praebent codd. B, H. I liquescit. vid. ad Andr. 373.

732. Miror, neminem adhaesisse ad hunc locum, quem corruptionis postulare iure meo, sed sero, mihi videor. Etenim non talis est eius ambiguitas, qualem ferendam esse monuimus ad Andr. 17, sed perturbat haec sensum loci ita ut, quid poëta sibi voluerit, nescias. Segregata dici potest a Pamphilo Philumena: vid. ad 739; segregata est ab eodem Bacchis: possis igitur utriusvis segregationem intelligere, ut aut a viro suo segregata dicatur nupta, aut a viro eius, nuptae, meretrix. Vtramque sententiam expende, et aeque falsum reperies, nuptam tunc demum fieri hostem mere-

tricis, ubi vel ipsa a viro disiuncta fuerit, vel scortum abstinuerit a pellicatu. Philumenae, dum etiam Pamphilo nupta esset, iniurias et contumelias querebatur Parmeno 102, quia quotidie ad Bacchidem itabat herus; itemque Phidippus 653 recte: Amarae mulieres sunt, non facile haec ferunt. Iam vero, meretricem invisam esse feminae honestae non ubi vir huius illicitis amoribus fuerit etiam irretitus, sed ibi demum, ubi se illis exsolverit scortumque adeo malignitate et nimia procacitate eum ab se abalienarit, ea vero longe absurdissima sententia. Quid igitur faciendum? Scilicet, nisi ineptum quem de trivio blateronem existimes Afrum, depravata haec esse mecum fateberis. Nec longe repetendum, quod dederit, nisi me omnia fallant, Comicus callidissimus. Repono minima mutatione:

Nam nupta et meretrici hostis est, a viro ubi segregata est.

i. e. Nupta etiam tum odit meretricem, ubi haec a viro suo segregata est. Nihil profecto verius, nihil aptius his rebus personisque; nec difficile est causam deprehendere corruptionis, cum librarios, mirantes, et meretricis hostem dici nuptam, quasi mediocriter invisae ipsi, quae vel maxime illam oderit, pugnasse se ratos esse, si τὸ et expunxissent, veritati sit consentaneum.

733. v. At haec amicae erunt, ubi q. a. resciscent; male: nam de una Sostrata Lachem promittere convenit, de uxore et filia Phidippum. cf. sequentia.

734. v. at easdem amicas, mendose. Codice B quoque abest versus, quia praecedenti satis similis. Ceterum B et H addunt nullam, quasi scriptum olim fuisset: At e. a. tibi pr., r. u. c. nullam.

736. Pudet Philumenae. Conscientia communis viri et pellicatus. Et familiariter Philumenae, tanquam notae ex Pamphilo. Donat.

737. v.: quod mihi malim, ambigue quidem et versu impingente.

739. Proprie ab meretrice Segregari dicitur, ab uxore Disiungi. Donat. cf. 695, Heaut. 334. quanquam et latius interdum segregandi patet significatio, velut supra 423.

740. v.: ex eo et rem natam et gloriam esse, vitiosissime. Be.: Scit se n. ex ea re nactam. sed unice convenit paratam in re nondum facta, sed futura. Noster Andr. 288: Vt te arbitretur sibi paratum moechum; Eun. 912; etsi mihi magnum malum Scio para-

tum; Heaut. 924: nec tu aram tibi Nec precatorem pararis; et s. p.

741. v. Referetque (vel Refertque) gr. ei (Be. eii), unaque etc. m. l.

753. Tua quod nil refert, percontari desinas. Menander:

Ἃ μὴ προσήκει, μήτ' ἄκουε μήθ' ὅρα.

755. dederat. dedit. vid. ad Eun. 800.

757. v. nam, m. l.: nam hi versus haud dubie sunt iambici pleni, quos rite sequuntur eiusmodi catalectici. nam et namque saepius inter se permutata. Ita posteriorem producit, ut Phorm. 197. v. quoque totum hunc diem, frustra, neque ex poëtae more, qui similiter Ad. 874: In adparando totum consumunt diem, non totum hunc diem, et s. p. Minume quidem, ut alibi Minume, velut 303. vid. etiam 28 et 566. v. Minume equidem, intellecto Cesso; quod et ipsum ferri poterat.

759. Gu. 1 hic quoque attuli, ut facile haec commutantur.

768. v. exanimatus es duriore numero. vid. ad Andr. 578.

Donatus: Brevitati consulit Terentius: nam in Graeca haec aguntur, non narrantur.

770. v. suspicarier: magis coepi instare ut dicat, satis invenuste in suspicarier intellecto coepi, quod ipsum τῷ instare statim additur. Verissimum puto:

Nescio quid suspicarier magisque instare ut dicat.

773. v. habentem. Be. recte: habente. Referendum est eum aeque ad cognovit atque ad me habente, ut eandem vocem ad prodosin et apodosin accommodant Graeci. vid. index v. nomen.

777. v. aliae, minus recte. vid. ad 719.

Donatus, si verum video: Color necessarius a verisimili. Scilicet, se alibi dixisse: Bonas matronas facere, meretrices malas, meminit. cf. 717.

781. De, quod desideratur in vulgatis, comparet in nostris omnibus videturque absorptum a praecedente verbo. De nuptiis, propter nuptias, sicut Andr. 600 De negando, quanquam et ibi quoque turbatum esse vidimus. cf. Eun. 406. Incommodum mihi evenit, dictum esse monet Donatus sicut: Ei male evenit, aut Bene ei contigit. Ceterum neque ipse praepositionem reperit, si genuina sunt, quae v. in eius annotationibus leguntur haec: Nuptiis. Deest ex, ut sit Ex nuptiis.

786. Deus sum. Hoc est felicissimus sum: nam sic loquimur, ubi vel singularem dignitatem vel summam fortunam significare volumus. Plautus Curc. 1, 3, 11: PH. Est lepida. PAL. Nimis lepida. PH. Sum deus. PH. Imo homo haut magni preti. Sophocles Electrae 150 ed. Brunck.:

Ἰὼ παντλάμων Νιόβα, σὲ δ᾽ ἔγωγε νέμω θεὸν,
Ἅτ᾽ ἐν τάφῳ πετραίῳ
Αἰεὶ δακρύεις.

ubi vid. Musgravius. Similiter in coelo esse dicuntur, qui sunt beatissimi. Adi Erasmum adagg. 1, 6, 99, 100. Rarius tamen felicitas ita significatur quam dignitas. Noster Ad. 509:

Laudarier te audit lubenter: facio te apud illum deum,
Virtutes narro —

et Phorm. 311:

Ea qui praebet, non tu hunc habeas plane praesentem deum?

s. p. quomodo et regem esse dicimus eum, qui virtutis laude est praestantissimus. vid. intpp. ad Plauti Poen. 3, 3, 58.

Legitur autem v.: si hoc ita est, ad sensum frustra nec venuste elisa voce si, quae iam icta non liquescit ex regula.

791. v. Quis me est fortunatior venustatisque adeo plenior, m. l.: nam τὸ venustatisque medio in versu sic deproperari ut placet Bentleio, non ferendum. Codex A sequente versu: Adeone pro hoc te nuntio. Vides, incertam esse sedem verbi adeo. Aptissimum autem affectui loquentis lyricum hoc metrum. vid. ad Andr. 456.

Donatus: Venustatisque adeo plenior. Ob beneficia Veneris; cui contrarium Invenustus, cui contra ceciderit quod amat.

792. v. Egone te pro hoc nuntio quid donem? quid? quid? nescio. H: quid donem, nescio. Ne transpositum. vid. ad Eun. 346, et de vi huiusmodi repetitionum ad eiusdem fabulae 258, 553.

796. Qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris. Hoc est, qui tale quid mihi nuntiasti, quod fieri prorsus non posse videbatur. Plautus Poen. 1, 2, 130:

Quid agis tu? quando illi mecum caput et corpus copulas?
AD. Quo die Orcus ab Acherunte mortuos amiserit.

801. Factis, ut credam, facis. Difficile enim erat credere, his rebus gaudere meretricem. Donat.

803. v. obitus, sermo, adventus tuus, ut quocunque adveneris, quasi in extrema sententia mutato metro, quod insolitum invenustumque. Accedit, quod adventus nihil aliud est quam elegantioris verbi obitus interpretamentum. quod sentiens Be. tentabat adfatus tuus, itidem ταυτολογικῶς.

808. v. P. v. est. P. Dic verum, prorsus occultato verbo verum, quod, si germanum esset, praecipuum sibi locum iure posceret. nec transpositione verborum hic defungi potes. Accedit, quod versu sequente iterum habemus dic mihi. Vt paulo ante: Tun' mi istuc? ita iam: Tibi vero? Certe rescribendum erit Dic vero. cf. Eun. 856. Vero in eiusmodi formis significatum instandi habet; unde coniicio, et Donatum vero invenisse olim, non verum: nam s. ille ad h. l.: Bene instanter ex meretrice quaerit, quid de forma uxoris sentiat: scit enim, hanc iudicem esse pulchritudinis posse, vel quod femina, vel quod aemula.

809. v. D. m. harum rerum num quid dixti iam patri? ex int., occultato autem verbo patri. Ad alias res transiente Pamphilo, fabulaque adeo ad exitum spectante, recte iam inferuntur trochaïci. De formula Dic mihi vid. ad 299.

811. v. quos par fuerat resciscere, sciunt, ex int.

815. v. optume est, frustra.

817. v. quid sit quod f. b. Sed ut hic coniunctivum, et sequente versu in eadem sententia indicativum, intulerit Terentius? Haud credo; magis credo, id cum absorptum esset a praecedente verbo, grammatistas, de metro sollicitos, graeceque parum scientes (nam Graeco more hic usurpatur indicativus), sit dedisse prò est, ex unaque duas fecisse perperam sententias, plenius post boni distinguendo.

818. v. quod vos agitis, difficiliore numero. Tam antiquum pro vulgato tamen, quod versui minus congruit, reponendum esse indicavimus.

820. v. profueris mihi, ex int.

821. v. Imo vero scio, itidem ex int., metro vero perturbato.

822. v. quod facto usus sit, versu refragante. A glossatore est facto, quo facile carebimus. Plautus Pseud. 1, 3, 151:

Ad eam rem usust hominem astutum, doctum,
scitum et callidum etc.

possis et accipere pro quo usus sit: vid. ad Eun. 1021. Be., Donato obsecutus, hunc versum Bacchidi tribuebat tanquam laetanti et servulum ridenti, reponebatque Parmeno. Donatus reperisse videtur in suis libris: An t. q. Pamphilus praet. etc.

823. Similiter, monente Lindenbrogio, Plautus Capt. prol. 44:

Vt saepe iam in multis locis
Plus insciens quis fecit quam sciens boni.

DE ACTVVM ET SCENARVM RATIONE IN PLAVTO ET TERENTIO.

Vir eruditissimus, C. A. Boettiger, in Prolusione de quatuor aetatibus rei scenicae apud veteres, edita anno 1798, postquam monuit, notitiam scenae Graecae tum demum ad Romanos pervenisse, cum e comoedia choros iam proscripsissent ipsi Graeci: Hinc, inquit pag. 15, ut ad pauca tantum digitum intendam, omnis actuum et scenarum ratio in Plauto et Terentio, tot controversiis editorum agitata, explicanda est. Tenendum est illud Donati ad Andriam: Quando scena vacua est ab omnibus personis, ut in ea chorus vel tibicen audiri possit, — ibi actum finitum esse, debemus agnoscere. Quod de choro monet grammaticus, ad veterem scenae Atticae ritum et ἐπεισόδια, ut Aristoteles appellat (vide doctam Twiningii notam ad Aristot. pag. 212 seq.) referendum est. Sed addit: ut tibicen audiri possit. Hic observandum, actorem principem totius gregis apud Romanos mimica gesticulatione expressisse canticum ad tibicinis modos, et hoc chori loco fuisse. Quod si hoc diligenter animadverteris, multa luce perfusa esse intelliges, quibus spissae hactenus offusae erant tenebrae. Sic patebit, quid sibi velint verba in didascaliis Terentianarum fabularum parum intellecta: Egit Ambivius. Fuit is Ambivius gregis comici conductor et ipse πρωταγωνιστής. Iam vero si dicitur, illum egisse fabulam Terentii, accipiendum illud est de χειρονομίᾳ et gesticulatione mimica, qua cantica, Livii Andronici more, expressit Ambivius. Porro si in eadem didascalia traditum legimus, modos fecisse Flaccum, intelligitur pythaules (sic appellabatur, qui solus cantico accinebat, et opponitur choraulae, quod docte probavit Salmasius ad Scriptt. Hist. Aug. t. 2. p. 825), qui Ambivio cantica saltanti accineret. Diserte

enim Donatus, vel quicunque antiqua illa et, si lacinias passim assutas tollas, doctissima fragmenta de tragoedia et comoedia compilavit, Donati commentariis in Terentium praefigi solita, diserte, inquam, Donatus: diverbia histriones pronuntiabant; cantica vero temperabantur modis, non a poëta, sed a perito musices, factis. Deinde, si hoc tenemus, non erit, quod valde sollicitos habeat et exercitatos in Plauto et Terentio legendo abnormis et, ut nobis quidem videtur, inepta saepe temporum divisio, ubi, qui modo loquutus fuerat, actor statim redit in scenam, transactis iam domi rebus omnibus, quae, si ad nostram temporum scenicorum describendorum rationem exigantur, tam brevi temporis spatio intus peragi non potuissent. Conferat aliquis, ut unum saltem exemplum afferam, in Terentii Heautontimorumeno finem scenae 2 actus 5. Hic Menedemus abit intro, filio Chremetis patris animum, ut erga illum esset, ostensurus. Loquitur interea Chremes duo versiculos, quibus absolutis iam prodit Menedemus una cum filio Chremetis, transactis, quae intus conficienda erant, omnibus. Manifesto hic apparet, haec omnia in unum temporis articulum comprimi et coarctari non potuisse, nisi absurda et temporibus parum congrua finxisse videri vellet poëta. Atqui omnia plana sunt et expedita, si sumas, hic canticum intercessisse ad tibicinem saltatum seu expressum ab actore primario. Habuerunt iam in veteri scena Attici διαύλιον. vid. schol. ad Aristoph. Ran. 1282. sed hic ad tibicinis modos gestum faciebat comoedus, quo referenda esse puto verba notatu dignissima in Plauti Pseudolo 1, 5, 160, ubi servus, intro concessurus, ad spectatores:

Tibicen vos interea delectaverit.

Sed hinc etiam intelligi posse puto, quid in scena actitaverit Roscius ille, summus aetate Ciceronis artifex et gestuum mira varietate et veritate laudatissimus, quid Aesopus, quid alii tragoedi et comoedi tunc temporis nobilissimi. Aluit Roscius, ut ex oratione Ciceronis pro eo novimus, gregem histrionum, quibus ipse monstraret gestus et artem histrioniam. Quotiescunque igitur operam aedilibus aliisque ludorum scenicorum editoribus locaret, ipse, quod summum in arte eius habebatur, egit cantica ad tibicinem, diverbiis sive dialogis gregi suo relictis. Maxima difficultas est in voce cantici recte intelligenda. Loca unde ad illam enodandam proficere possumus, docte collegit

acutissimus Du Bos Reflexions critiques sur la poesie et sur la peinture t. 3. p. 174 seqq. quem multa sagacius investigasse quam qui hoc argumentum tractarunt omnes reliqui, magna cum voluptate saepe deprehendi. Multa tamen restant enucleanda.

Ita vir humanissimus, a quo tamen in paucis dissentimus. Primum enim verba Egit Ambivius hoc potius indicare puto, Ambivium suam actorumque suorum operas Aedilibus locasse: siquidem eum modo agere dici, qui cantica saltet, usu loquendi non comprobatur. Ipse Boettigerus Prolusionis de actoribus primarum secundarum et tertiarum partium pag. 5 haec habet, quae apprime huc faciunt: Veteres istos tragicos et comicos poëtas suos sibi addictos et in perpetuum quasi emancipatos habuisse actores, exempla Cephisophontis, qui Euripidis fabulas perpetuo agebat (vid. Thom. Mag. in vita Euripidis p. 51 ed. Barnes. et literas ad hunc Cephisophontem ab Euripide scriptas in spuriis epistolis, quae tribuuntur Euripidi t. 2. p. 502 ed. Beck.), et Cratetis, qui cum diu Cratino poëtae comico in fabulis agendis operam dedisset, ipse tandem factus est poëta (vid. schol. ad Aristoph. Equit. 535 et in Fabricio Harles. t. 2. p. 429), satis demonstrant. Sed procedente tempore mos invaluit, ut actores in arte histrionia probe exercitati mercede conducerent alios actores, quorum operam locarent choragis ad eas, quas festis diebus producturi essent, fabulas. Hoc liquido apparet e loco Plutarchi in praecept. polit. t. 2. p. 816, ubi refert, Polum actorem celeberrimum conductitium habuisse, μισθωτὸν, actorem alium, unde facilius intelligitur, quo modo idem Polus biduo, quo egisset, magni talenti mercedem accipere potuerit. v. Plut. in vita 10 rhet. p. 848. B. nam verba δυσὶν ἡμέραις ἀγωνισάμενος accipio de actore primario et suam et viliorum actorum, quos ipse conduxerat, operam pro mercede illa locante.

Sic itaque et Ambivius solus egisse, ἀγωνίσασθαι, dicitur, ni fallor, in titulis Heautontimorumeni et Hecyrae, sic alibi idem et Attilius, propterea quod pro se et grege suo cum Aedilibus hi contraxissent. nihil enim aliud nisi agere h. l. sonat τὸ ἀγωνίζεσθαι, neque iam eo respicitur, quod etiam actorum fuit victoria in fabularum commissione, non poëtarum solum, ut patet (itidem Boettigerum audis ibid. p. 6.) e luculento loco Plutarchi in vita Alexandri c. 29. t. 4. p. 293. Hutt., ubi in ludis scenicis, quos in Phoenicia

spectavit victor, duo celeberrimi illius aetatis commemorantur actores, Athenodorus et Thessalus, quorum posterior cum iudicum sententia inferior discessisset, valde hoc pupugit Alexandrum. Hic aperte habes Athenodorum νικῶντα, Thessalum νενικημένον.

Et de hoc quidem hactenus. Sed neque illud quidem omnino fuerit probandum, quod placet Boettigero, sola cantica fuisse acta ab histrionibus primariis. Polus ille Gellii N. A. 7, 5, cum Electrae partes in cognomine Sophoclis tragoedia sustineret, urnam gestavit ab Oreste in ea fabula sorori traditam, unde constat, diverbium quoque illud actum esse ab histrione celeberrimo. Itidem Ambivius ipse prologo Heautontimorumi:

Ne cui sit vostrum mirum, cur partes seni
Poëta dederit, quae sunt adolescentium,
Id primum dicam; deinde, quod veni, eloquar.

deinde, ait, quod veni, eloquar, h. e. Chremetis partes, adeoque primum fabulae diverbium, agam, ut recte Bentleius interpretatur. nec dubito quin idem et Andriae, Eunuchi, Phormionis, denique Hecyrae, primas certe scenas agendas in se susceperit, sicut Adelphorum quidem Attilius vel Minutius Prothymus, ut neque tam elaborata diverbia illotis conductitiorum actorum manibus contaminarentur, et taedium adeo protaseos non poëtae solum arte, sed etiam gestus et vocis venustate et claritudine, ut cum Gellio loquar, levaretur. Quod ut verum credam pariterque inter Graecos ac Romanos obtinuisse, adducit me locus Aristotelis Polit. 7, 17 pag. 562, F, ubi de Theodoro, nobili tragoedo, agens philosophus: ὀυδενὶ γὰρ πώποτε παρῆκεν ἑαυτȣ̃ προεισάγειν ȣ̓δὲν (sic enim legendum puto pro vulgato προεισάγειν, ȣ̓δὲ τῶν —) τῶν ἐυτελῶν ὑποκριτῶν, ὡς οἰκειȣμένων τῶν θεατῶν ταῖς πρώταις ἀκοαῖς, h. e.: nemini actorum infimorum quicquam proloqui permisit antequam ipse in scenam prodiisset, non ignarus, primis vocibus facile adsuescere spectatores. Nihil cum dicit Aristoteles, de prologis non cogitavit, ut quos agere ne actorum quidem esset, sed imi subsellii adolescentulorum, ut supra vidimus ad prologos Heautontimorumeni et Hecyrae, cogitavit de primis actibus fabularum, quos quam peritissimus esset histrio, tam minime despectos habuisse credibile est.

Omnino id statui videtur posse, primarios actores primas fabularum partes, velut Davi in Andria, Syri in Heautontimorumeno, Parmenonis in Eunucho, sibi-

metipsis tanquam proprias vindicare solitos fuisse, reliquas vero, sicubi maiore arte et ibi opus esset, persona mutata sublevare, quo rectius ii soli agere visi sunt spectatoribus. a qua sententia non multum abludere video eruditissimum Boettigerum Prolus. de actoribus etc. pag. 15.

CONSPECTVS METRORVM,

quibus, praeter iambicum senarium, usus est Afer.

ANDRIA.

Versus 147, 8. iambici tetrametri.
- - 249. iambicus dimeter, clausula.
- - 150, 1. trochaïci tetrametri catalectici.
- - 152 — 167. similes 147.
- - 171 — 186. similes 147.
- - 197. similis 150.
- - 200 — 205. sim. 150.
- - 206, 7. sim. 147.
- - 208, 9. sim. 150.
- - 210, 211. sim. 147.
- - 212. sim. 149.
- - 213, 4. sim. 150.
- - 215. sim. 147.
- - 216. sim. 149.
- - 217. trochaïcus tetrameter acatalecticus.
- - 218. trochaïcus dimeter, clausula,
- - 219. sim. 217.
- - 220 — 23. sim. 150.
- - 224. sim. 149.
- - 225 — 30. sim. 147.
- - 231, 2. sim. 150.
- - 233 — 41. sim. 147.
- - 271, 2. iambici tetrametri catalectici.
- - 273. sim. 217.
- - 274. sim. 150.
- - 275, 6. sim. 147.
- - 277. sim. 217.
- - 278. sim. 150.

Versus 279. sim. 217.
- - 280. sim. 150.
- - 281 — 89. sim. 147.
- - 291 — 301. sim. 150.
- - 302, 3. sim. 147.
- - 304 — 323. sim. 150.
- - 324. sim. 147.
- - 325 — 350. sim. 150.
- - 351. sim. 217.
- - 352 — 55. sim. 150.
- - 366 — 375. sim. 147.
- - 420. sim. 147.
- - 452 — 55. bacchiaci tetrametri.
- - 456. bacchiacus dimeter, clausula.
- - 458 — 67. sim. 147.
- - 470 — 76. sim. 147.
- - 477. sim. 271.
- - 478 — 80. sim. 147.
- - 481 — 87. sim. 150.
- - 490 — 94. sim. 150.
- - 503 — 7. sim. 147.
- - 508. sim. 149.
- - 546 — 552. sim. 271.
- - 553 — 574. sim. 147.
- - 575. sim. 149.
- - 576. sim. 150.
- - 577. sim. 217.
- - 578. sim. 150.
- - 579 — 92. sim. 147.
- - 593, 4. sim. 150.
- - 595 — 606. cretici tetrametri.

Versus 607. creticus dimeter, clausula.
- - 608. sim. 217.
- - 609, 610. sim. 150.
- - 611, 612. sim. 147.
- - 613 -- 618. sim. 150.
- - 619 — 624. sim. 147.
- - 633, 34. sim. 147.
- - 652, 3. sim. 147.

Versus 654 — 85. sim. 271.
- - 790 — 829. sim. 150.
- - 830 — 33. sim. 147.
- - 834. sim. 150.
- - 835. sim. 147.
- - 866 — 898. sim. 150.
- - 899 — 931. sim. 147.
- - 932 — 951. sim. 150.

EVNVCHVS.

Versus 162 — 69. trochaïci tetrametri acatalectici.
- - 170. trochaïcus tetrameter catalecticus.
- - 171 — 75. iambici tetrametri acatalectici.
- - 176 — 204. sim. 170.
- - 205 — 241. iambici tetrametri catalectici.
- - 242. amphimacer, clausula.
- - 243 - 47. sim. 171.
- - 248. sim. 170.
- - 249, 50. sim. 205.
- - 251, 2. sim. 171.
- - 253. sim. 162.
- - 254. sim. 170.
- - 255, 6. bacchiaci tetrametri.
- - 257 — 68. sim 171.
- - 270, 1. sim. 205.
- - 301 — 314. sim. 170.
- - 315 — 324. sim. 171.
- - 325. sim. 170.
- - 326 — 339. sim. 171.
- - 488 — 497. sim. 205.
- - 498. creticus dimeter.
- - 500, 501. sim. 205.
- - 502 — 505. sim 171.
- - 506 — 510. sim. 205.
- - 511 — 540. sim. 171.
- - 541 — 563. sim. 205.
- - 564. sim. 162.
- - 565. sim. 170.
- - 566, 7. sim. 205.
- - 568 — 71. sim. 171.
- - 572 — 74. sim. 170.
- - 589, 90. sim. 162.

Versus 591. sim. 170.
- - 592. sim. 171.
- - 593. iambicus dimeter acatalecticus, clausula.
- - 594, 5 sim. 170.
- - 596, 7. sim. 171.
- - 598. sim. 593.
- - 599 — 601. sim. 170.
- - 602, 3. sim. 171.
- - 605 — 613. sim. 171.
- - 647 — 670. sim. 170.
- - 671, 2. sim. 171.
- - 673 sim. 170.
- - 674 — 681. sim. 171.
- - 683 — 86. sim. 162.
- - 687. sim. 170.
- - 688 — 690. sim. 162.
- - 691. trochaïcus dimeter catalecticus, clausula.
- - 692. sim. 162.
- - 693. sim. 170.
- - 694 — 96. sim. 171.
- - 697, 8. sim. 205.
- - 699 — 714. sim. 170.
- - 715 — 732. sim. 171.
- - 733 — 760. sim. 170.
- - 887 — 914. sim. 170.
- - 946 — 968. sim. 205.
- - 969 — 974. sim. 170.
- - 975, 6. sim. 162.
- - 977. sim. 170.
- - 978 — 992. sim. 171.
- - 993. sim. 593.
- - 994. sim. 162.
- - 995. sim. 691.
- - 996 — 1039. sim. 170.

HEAVTONTIMORVMENOS.

Versus 123 — 25. trochaïci pleni.
- - 126. trochaïcus dim. catal, clausula.
- - 127, 8. trochaïci tetrametri catalectici.
- - 129 — 177. iambici tetrametri acatalectici.
- - 178 — 189. sim. 129.
- - 190 — 204. sim. 126.
- - 205 — 212. sim. 129.
- - 260. sim. 127.
- - 261. sim. 123.
- - 262 — 272. sim. 127.
- - 273, 4. sim. 129.
- - 275 — 285. sim. 127.
- - 286, 7. sim. 129.
- - 329 — 345. sim. 127.
- - 346 — 353. sim. 129.
- - 510, 11. sim. 123.
- - 512. sim. 127.
- - 513. sim. 129.
- - 514. iambicus dimeter acatalecticus, clausula.
- - 515 — 17. sim. 123.
- - 518 — 21. sim. 127.
- - 522 — 27. sim. 129.
- - 528 — 30. sim. 123.

Versus 531, 2. sim. 127.
- - 533 — 36. sim. 129.
- - 539 — 61. sim. 127.
- - 561 — 70. sim. 129.
- - 571 — 73. sim. 127.
- - 574. sim. 123.
- - 575 — 615. sim. 127.
- - 616, 17. sim. 123.
- - 618. sim. 127, clausula.
- - 619 — 26. sim. 129.
- - 627 — 55. iambici tetram. catalectici.
- - 657 — 70. sim. 127.
- - 671 — 96. sim. 627.
- - 823 — 30. sim. 127.
- - 831, 32. sim. 129.
- - 833 — 56. sim. 127.
- - 888 — 926. sim. 127.
- - 927 — 48. sim. 129.
- - 949 — 51. sim. 627.
- - 952, 3. sim. 129.
- - 954. sim. 514.
- - 955, 6. sim. 127.
- - 957 — 61. sim. 129.
- - 962, 3. sim. 123.
- - 964. sim. 127.
- - 965 — 71. sim. 129.
- - 972 — 1015. sim. 127.

ADELPHI.

Versus 129 — 31. trochaïci pleni.
- - 132. trochaïcus dimeter catalecticus, clausula.
- - 133. iambicus plenus.
- - 134. sim. 129.
- - 135 — 143. trochaïci tetrametri catalectici.
- - 144. sim. 129.
- - 145. sim. 135, clausula.
- - 146, 7. sim. 133.
- - 148, 9. sim. 135.
- - 150 — 61. sim. 133.
- - 162. sim. 129.
- - 163. sim. 135, clausula.
- - 164 — 70. sim. 133.
- - 171. sim. 135.

Versus 172, 3. sim. 133.
- - 174 — 81. sim. 135.
- - 182. sim. 133.
- - 183. sim. 129.
- - 184. sim. 135, clausula.
- - 185 — 202. sim. 133.
- - 228 — 61. sim. 133.
- - 262. sim. 135.
- - 263 — 68. sim. 133.
- - 269 — 72. sim. 135.
- - 273 — 76. sim. 133.
- - 277, 8. sim. 135.
- - 279 — 90. sim. 133.
- - 291. iambicus dimeter, clausula.
- - 292, 3. sim. 135.
- - 294. sim. 133.

Versus 295—303. sim. 135.
- - 304—328. sim. 133.
- - 491. sim. 129.
- - 492. sim. 135, clausula.
- - 493—96 sim. 133.
- - 497, 498. bacchei tetrametri.
- - 499. sim. 129.
- - 500. sim. 135, clausula.
- - 501—513. sim. 133.
- - 514—42. sim. 135
- - 543, 4. sim. 133.
- - 545—565. sim. 135.
- - 566—574. sim. 133.
- - 575 sim. 129.
- - 576. sim. 135.

Versus 584. penthemimeris iambica, clausula.
- - 585—588. cretici tetrametri.
- - 589—598. sim. 133.
- - 599—611. sim. 135.
- - 653—69. sim. 135.
- - 670. sim. 129.
- - 671—679. sim. 135.
- - 680. sim. 133.
- - 681—86. iambici tetrametri catalectici.
- - 829—855 sim. 135.
- - 908—929. sim. 133.
- - 930—971. sim. 135.

PHORMIO.

Versus 119, 20. trochaïci tetrametri.
- - 121. trochaïcus tetrameter catalecticus.
- - 122, 3. sim. 119.
- - 124, 5. sim. 121.
- - 126—28. iambici tetrametri.
- - 129. iambicus dimeter.
- - 130—142. sim. 126.
- - 143, 4. iambici tetrametri catalectici.
- - 145. sim. 119.
- - 146—48. sim. 121.
- - 149. sim. 129.
- - 150. sim. 126.
- - 151, 2. sim. 121.
- - 153, 4. sim. 119.
- - 155, 6. sim. 121.
- - 157. sim. 129.
- - 158, 9. sim. 126.
- - 161. sim. 126.
- - 162. sim. 129.
- - 163—174. sim. 121.
- - 175. sim. 126.
- - 176 81. sim. 121.
- - 197 217. sim. 126.
- - 218, 9. sim. 121.
- - 281—306. sim. 121.
- - 307—9. sim. 126.
- - 310, 11. sim. 121.
- - 312, 13. sim. 126.

Versus 428—31. sim. 119.
- - 432, 3. sim. 121.
- - 434—41. sim. 126.
- - 442—51. sim. 121.
- - 453. sim. 119.
- - 454—63. sim. 121.
- - 464, 5. sim. 126.
- - 466—76. sim. 121.
- - 477, 8. sim. 126.
- - 479—529. sim. 121.
- - 676—690. sim. 126.
- - 691. sim. 119.
- - 692. trochaïcus dimeter catalecticus, clausula.
- - 693, 4. sim. 119.
- - 695. sim. 121, clausula.
- - 696, 7. sim. 126.
- - 608—701. sim. 119.
- - 702, 3. sim. 121.
- - 704—710. sim. 126.
- - 711—21. sim. 143.
- - 722, 3. sim. 126.
- - 724—27. sim. 143.
- - 729—57. sim. 143.
- - 758—82. sim. 126.
- - 783—91. sim. 143.
- - 792—803. sim. 126.
- - 804—813. sim. 121.
- - 814—16. sim. 126.
- - 817—843. sim. 121.
- - 844, 5. sim. 126.
- - 972—1016. sim. 121.

HE-

HECYRA.

Versus 141 — 48. iambici tetrametri.
- - 149. iambicus dimeter, clausula.
- - 150 — 58. sim. 141.
- - 160 — 85 trochaïci tetrametri catalectici.
- - 186 — 216. iambici tetrametri catalectici.
- - 217 — 23. sim. 160.
- - 224. trochaïcus tetrameter.
- - 225, 6. sim. 160.
- - 227, 8. sim. 141.
- - 229 — 31. sim. 160.
- - 232 — 34. sim. 224.
- - 235. sim. 160.
- - 236 — 69. sim. 141.
- - 268, 9. sim. 186.
- - 279 — 303. sim. 186.
- - 304 — 51. sim. 160.
- - 394 — 427. sim. 160.
- - 459, 60. sim. 224.
- - 461. sim. 160.
- - 462. sim. 224.
- - 463. trochaïcus dimeter catalecticus, clausula.
- - 464. sim. 141.
- - 465. sim. 160.
- - 466, 7. sim. 224.
- - 468. sim. 160.
- - 469, 70. sim. 224.
- - 471. sim. 160.
- - 472, 3. sim. 224.
- - 474. sim. 160.
- - 475 — 77. sim. 224.
- - 478 — 86. sim. 160.

Versus 487 — 89. sim. 141.
- - 490 — 508. sim. 160.
- - 509 — 49. sim. 141.
- - 550 54. sim. 186.
- - 555. sim. 149.
- - 556 — 58. sim. 224.
- - 559. sim. 160.
- - 560. sim. 141.
- - 561, 2. sim. 160.
- - 563. sim. 149.
- - 564. sim. 141.
- - 565. sim. 186.
- - 670 — 73. sim. 141.
- - 675, 6. iambici trimetri hypercatalectici.
- - 677 — 85. sim. 186.
- - 686, 7. sim. 141.
- - 688 — 90. asynarteti ex trochaïco dimetro et iambico dimetro catalecto.
- - 691 — 708. sim. 160.
- - 709 — 41. sim. 186.
- - 742 — 56. sim. 160.
- - 757, 8. sim. 141.
- - 759 — 83. sim. 186.
- - 784. sim. 224.
- - 785 — 89. sim. 160.
- - 790. sim. 224.
- - 791 — 94. bacchiaci tetrametri.
- - 795. bacchiacus dimeter, clausula.
- - 796, 7. sim. 141.
- - 804 — 8. sim. 141.
- - 809 — 24. sim. 160.

INDEX.

Rham-



EMENDANDA.

Pag. 197 versu 578 leg. tantam.
p. 443 post versum 19 adde: Ipsus laetis. vid. ad Hec. 261.
p. 446 v. 20 l. Gellii.
p. 449 v. 11 l. 628.
p. 450 v. 8 l. praeter H, et pedibus.
p. 456 v. 20 posterius eu sequenti versui annumera.
p. 457 v. 40 adde: vid. ad Hec. 26.
p. 468 v. 7 l. deficiente.
p. 472 v. 6 l. adsint.
ibidem v. 13 adde: Similiter Aristophanes Acharn. 570: αὐτὸς ἀρθήσει τάχα, ipse mox sublimis rapiere. cf. eius fab. 576 et Adelphor. 290.
ibidem v. 42 adde. cf. Aristophan. Thesm. 203.
p. 485 v. 25 l.: iuvenuste eliso nomine, deletis verbis corrupto — semper.
p. 491 v. 8 l. 467.
ib. adde: 423. quid tu ais? sic Aristophan. Vesp. 837: ἰδού, τί ἔτ' ἐρεῖς;
p. 532 v. 4 l. τάξιούμενον.
p. 541 v. 26. l. obstupescere.
p. 545 v. 32 l. εἶναί.
p. 551 adde: 132. dep. m. Recte Eugraphius: Hoc est, mori volo vel pacisci mortem. Similiter Euripides Cressis: τοῦτο δὲ Ἅιδης διακρινεῖ πρότερον ἢ 'γὼ πείσομαι.
p. 556 v. 44 l. Graeci.
p. 558 v. 34 perstandum est in vulgata scriptura:

Ὁ πένης ἐλεεῖται, ὁ δὲ πλούσιος φθονεῖται.

Sotadēus hic versus est, quanquam haud suavissimus, non iambicus senarius, qualem effingere studebam.
p. 559 v. antepenult. leg. K. καὶ τ.
p. 562 ante ultimum versum haec adde. 348. Enicas, obtundis, odiosus es, ἀποκναίεις, διατρίψεις, ἀπολεῖς, ut est Aristophanis Vesp. 681, 849 edit. Brunck. cf. Andr. 630 et inprimis Eun. 503. Propriam vim suam Enecare obtinet Phorm. 955.
p. 570 v. 32. Simillimus huic locus est Aristophanēus Vesp. 408.

